


Digitized by Google

Digitized by Google

# GENTIS PONTIANÆ ORIGO, ET SERIES

A

JOSEPHO MACRINO

J. C. NEAPOLITANO

Compendio deſcripta.

NEAPOLI, MDCCXI.
Ex Typographia Felicis Moſca.
*Superiorum Licentia.*

Digitized by Google

Digitized by Google



# D. NICOLAO DE PONTE

Infanti nuperrimè ad Pontianæ Familiæ
Flumarenſium Ducum deficientis,
ſpem, & reparationem nato.

JOSEPH MACRINUS J.C.

*Hoc mihi digeſtum veſtra de gente volumen,*
*Quo breviter celebres enumerantur avi;*



Digitized by Google

*Clare Infans vulgare typis, cunctiſque parabam;*
*Publicus ut fieret noſter ubique labor.*
*Quærebam autori meritum, libroque patronum,*
*E cujus titulis auctior ille foret.*
*Anxius Italici potius magnatis an ille*
*Externi ferret nomina fronte viri.*
*Interea res mæſta domi, nec maſcula proles*
*Conſtabat cupido, ſpeſque propinqua patri.*
*Deſtiterat plures fælix Lucina per annos*
*Egregiæ matri munera ferre ſua.*
*Dii meliora ferant, & tanta pericula vertant;*
*Neve ſinant claram claudere fata domum.*
*Hoc precibus genitor, cunctaſque volutus ad aras*
*Omnes proſequitur ſollicitare Deos.*
*Audivere preces ſuperi, tumiduſque repente*
*Te venter, fauſta, pupule, ſorte dedit.*
*O factum bene! jam noſtræ, mi parvule, dixi*
*Ambiguus mentis deſinit eſſe labor:*
*Nam reparatori generis, gentiſque vetuſtæ*
*Æquum eſt inſcriptus jure libellus eat.*
*Hoc te vitalem, numeroſa ſtirpe beatum*
*Auguror, & plenum te fore laude virum.*
*Quos imiteris habe majorum facta, & honores:*
*Quamvis ſint noſtro hæc vix benè ſcripta ſtilo.*

Nec

Digitized by Google

Nec quia vagitu tantum mihi plaudere poſſis;
Nec capias oris verba, ſonuſque mei,
Abſtineo expletos inſcribere velle labores,
Atque opus ornatum nomine velle tuo.
Tempus erit multos cum ſis vir adultus in annos,
Cumq; meum hunc volvas ſedulitate librum:
Atque ò ſcriptorem dices in honore tenendum,
Incolumis vita ſi ſupereſſet adhuc.
Illo Macrinum me tempore longus habebit
(Si dederint Superi) ſomnus, & alta quies.
Indole tu propria interea, exempliſque tuorum
Erectus ſcandes proptus honoris iter.
Non luxus, non deſidia; aut vitioſa potentûm
Segnities illos detinuere viros.
Virtutum ſtudio, conſtanti pectore, forti
Quæſivere manu nobile in orbe decus.
Namque alii exactis per martia facta periclis
Evaſere alacres in fera bella duces.
Regibus excultis alii; meritiſque levati
Oppida, & illorum munere caſtra tenent.
Sæpè magiſtratu per munera ſumma peracto
Commoda dant patriæ, principibuſque ſuis.
Magnificè ędificans quiſquã monumẽta reliquit;
Unde etiam claris urbibus extat honos.



Digitized by Google

*Templa, ſacraſq; ædes dum dedicat iſte Tonanti*
*Profudit propria ſponte libenter opes.*
*Floruit unius celebris Reſpublica factis,*
*Quem dederant ſibi ſuffragia cuncta ducem.*
*Innumeri vita cum cælibe nobilis amplas*
*Pectore militiæ ſigna tulere cruces.*
*Ordinibus Rhodiis ſummus dat jura magiſter*
*Corporis hic præſtans robore, & ingenio.*
*Purpureum multi factis meruere galerum,*
*Contexitque aliis inſula ſacra caput.*
*Nec vos prætercam ſummo, quos numine tactos*
*Innocuam meliùs juvit inire viam.*
*O quantum veſtra eſt pretioſior illa cuculla*
*Torquibus, & faſtu, faſcibus, atque togis;*
*Teſtatuſque Deus, dum fert miranda per ipſos*
*Demiſſum id vitæ jam placuiſſe genus.*
*Hæc tecum reputans, imitatus geſta parentum*
*Augebis generis ſtemmata clara tui.*

Digitized by Google

# AMICO LECTORI

# S.

PRodierat nuperis annis, amice Lector, elegans volumen Pontianæ Familiæ ſeriem uſque ad recentia tempora producens, quod cum evoluiſſem, detinuit me profectò ſtyli elegantia, qua Italico ſermone ſcribens author uſus fuerat, rerum diſpoſitio, & ordo. Porrò miratus fui ipſius magnificentiam, cum nullo ſumptu poſthabito, impreſſum fuerit, & accuratis typis elegantiſſimis excuſum, & levigatis, expreſſis ad vivum imaginibus fuerit ornatum, quibus antiquorum, & nuperorum procerum DE PONTE, ora, & lineamenta demonſtrabantur. Certè ex quo hæc impreſſorum ars exorta eſt, non in Italia, nec Gallia, aut Germania, aliiſque Provinciis liber alius prodiit, qui huic ſit comparandus, nec tantæ opulentiæ, ut huic Pontiano ſit æqualis, vel ſi illos numeres regali ſumptû ad uſum Delphini Pariſiis excuſos; niſi fortaſſe huic æquiparaveris Athlantem Officina Blaeviana vulgatum, in quo totus orbis, & provinciarum exemplaria erant proponenda. Cæterùm non abs re forè volutavi mecum, ſi tractabilius, & minoris molis volumen, & extra Italici idiomatis orbitam progreſſurum conſcriberetur latino ſermone. Itaque meo Marte ſubciſivis horis per brevem methodum eamdem proſapiam compilare ſum exorſus, nihil ferè declinans ab iis, quæ in majori illo tradita erant, nihil auferens, ſed tantum breviore oratione complexus eadem. Id porrò non ingratum

puta-

putavi Excellentiſſimo Viro D. Joſepho DE PONTE Flumarenſium Duci, Urbis Neapolitanæ delicio, & omnium virtutum cumulo ornato, & politioribus ſcientiis imbuto, cui plurima debeo. Enimverò cum in illo tantæ ſobolis ſeries penè deficere videretur bono demum fato factum eſt, ut maſcula ditaretur prole. Itaque cum familiæ tutam, certamque propagationem acceperimus, ejuſdem hanc brevem deſcriptionem edere propoſui ab Infante ipſo inauguratam. Cæterum compendii tenorem ſequens nonnulla, quæ prolixius in illo tractabantur volumine, aut minoris erant ponderis, ſilentio tranſmiſi. Diplomatum etiam, & libellorum, quorum tenor integer multas paginas implebat, omiſi, & cum ſpecioſius aliquod neceſſe erat memorare, pauca, & excerpta verba ad rem facientia ſelegi, quæ imprimerentur. Arborem etiam genealogicam proponendam oculis curavi: quamvis aliquorum nomina extra ordinem pendeant, qui licet ex eodem trunco profluxerint, linea eorum tamen integra non exprimitur, ob diſtantiam graduum, quam reddere uno folio fas non erat. Enimverò de his aliis ejuſdem trunci ramis, qui Romæ, Methelicæ, Venetiis, Sabaudiæ, Hiſpaniæ, & alibi floruerunt, florentque aliis voluminibus agetur. Schema etiam expreſſum novi apud nos, & laudabilis inventi, quo Infantis ex paterno, & materno latere aſcendentes uſque ad atavos nobili conjunctione familiarum illuſtrium claros demonſtrantur, itaut ſexdecim hinc, illinc ſexdecim numerentur. Sed cum jam rationem operis tibi Lector reddiderim. Vale.



Digitized by Google

*Rev. P. Joannes Marciano Congreg. Oratorii revideat, & referat. Neap. 15. Martii* 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D.P.M.Giptius Can.Dep.

EMINENTISSIME DOMINE.

JUſſu Em. Veſtræ magna cum animi voluptate perlegi Pontianæ Gentis originem, & ſeriem ab eruditiſſimo Juris Utriuſque Doctore Joſepho Macrino deſcriptam; etenim quemadmodum in unica tantum linea ab Apelle ducta, ita ejus peritia enituit; ut ſtatim Protogenes ex illo minimo veſtigio; ut ait Plinius, agnoverit artificem, ita Macrini ars, & eloquentia, vel in paucis paginis elucefcit; ut etiam in parvo magnus dici debeat; quapropter prælo dignam cenſeo; cum alias auctoris pietas longe diſtet ab omni, quod Catholicam Fidem, aut bonos mores offendere poſſit. Ex Ædibus Oratorii XVI. Kal. Aprilis 1712.

Emin. Veſtræ

*Humill. & Addictiſs. Servus*
Joannes Marcianus Congreg. Oratorii.

*Viſa ſupradicta relatione, Imprimatur.*

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D.P.M.Giptius Can.Dep.

Rev;

Digitized by Google

*Rev. D. Nicolaus Galitia videat, & in ſcriptis referat.*

GASCON R. GAETA R. ROSA R. ARGENTO R.

*Proviſum per S.E.Neap.* 18 *Januarii* 1712.

Maſtellones.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Librum, cui titulus: *Pontianæ Gentis origo*, Doctoris Joſephi Macrini tuo, Excellentiſſime Princeps, Imperio legi; in quo clariſſimi Authoris inprimis eſt probanda argumenti electio, quod perilluſtris familiæ egregia facta latina ſcriptione æternitati commendare ſtuduerit: id quod ſumma felicitate obtinuiſſe cenſeo: nam tanta in illa elucet latini ſermonis elegantia, & puritas, ac præterea tam mirus eorum ordo, ac diſpoſitio, ut aurei ſęculi ſcriptorum opus exiſtimaveris; quapropter ſi typis detur, multum dignitatis noſtræ Civitati accedet, nihilque Regni Majeſtas minuetur. Datum Neap. VI. Kal. Martii, Anno 1712.

Tui Excell. Princeps

*Obſequentiſſ. Cliens*
Nicolaus Galitia.

*Viſa relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmat.*

GASCON R. GAETA R. ARGENTO R.

*Proviſum per S.E.Neap.* 14. *Martii* 1712.

Maſtellonus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# GENTIS PONTIANÆ

## *Origo, & ſeries.*

*QUamvis alicui videri poſſit nihil ad ſummam Reipublicæ pertinere, quòd certarum familiarum notitia poſteris tradatur, & ſingularium hominum geſta memorentur, & quòd propaginum inſignium ſeries ſcriptis monumentis ſtudioſius demonſtrentur; tamen ſi quis rem exactè perpendet, hoc ipſum mirificè ad Reipublicæ utilitatem pertinere judicabit, & neceſſariam hanc Hiſtoriæ partem ad ipſius exiſtimabit incrementum. Expedit enim Reipublicæ, ut animi Civium ad nobilia erigantur: expedit ut inſignia facta*



Digitized by Google

*aliorum, veluti exemplum poſteris proponantur, & ſpeculum habeant recentiores, in quo ad aliorum illuſtrium virtutem ſtudioſè componant ſe cives. Hoc autem non alio pacto obtineri poterit, quàm ſi publicis ſcripturis ſerventur ea, ne diſpergantur memoriæ rerum benè geſtarum, quàm ſi præcipuus honor illis reddi conſpiciatur, qui ſe glorioſè geſſerint, ut hinc ad ſimilia agenda non ſolum doceantur venturi, ſed etiam hujus perpetui præmii ſpe, & deſiderio accendantur. Hinc olim conſuetum fuit apud Romanos ſtatuas, aut ex marmore, aut alio pretioſiore metallo meritis viris conſtituere: arcuum, aut pyramidum moles ob inſignia facta excitare: provinciarum, aut gentium ſubactarum nomina fortioribus ducibus tribuere, quibus ſcilicet perpetua in orbe eorum nomina ſervarentur, & ad ſimiles*

*miles honores adipiſcendos factorum imitatione ducerentur venturi. Id autem quod Romani, & antiquiores etiam Græcorum Reſpublicæ ad glorioſam æmulationem in poſteris excitandam ſervare conſueverunt, etiam illæ, quæ poſt occaſum veterum enatæ ſunt Reſpublicæ facilè ſunt imitatæ, & illuſtria exempla in Veneta, & Januenſi tradere poſſemus, quibus virtus, & fides, aut ſapientia, vel Ducum, vel Senatorum, vel civium perpetuis ſignis fuit commendata. Porrò aliis recentioribus ætatibus more traditum fuit, & ab Imperatoribus, & Regibus conſuetum eſt gentilia ad honorem ſtemmata alicui ſecundum virtutem elargiri, et quandoque Regiam communicare familiam, quo ſcilicet eo honorum apice, ſe dignandos alii exiſtimarent, qui ſtrenuè ſe geſſerint. Hoc per adoptionem multi, alii per*

*arrogationem aſſequebantur , ut ex infinitis hiſtoriarum documentis fas eſſet detegere. Sed quoniam ad rem noſtram properamus non abſq; ſolida ratione propoſuimus faſciculum virorum illuſtrium, quos familia DE PONTE, orbi protulit, hiſtorica brevitate concludere: erit enim hic labor non tam ipſis, qui jam vitam hauſerunt proficuum, quàm urbis noſtræ decori congruum, & ad Reipublicæ augumentum conſentaneum.*

*Ut autem de ejus prima, & antiqua origine verba faciamus, familiam DE PONTE Patritiam Romanam eſſe non ambigitur, atque indè per varias Europæ Regiones variis occaſionibus, aut belli, aut pacis diffuſam. Enimverò legimus, Carolum Andegavenſem Hoſtiam appulſum à nobilibus Romanis receptum fuiſſe, & Romam deductum, & inter cæteros Nobiles, Freipanos,*

Cen-

*Cencios, Anibaldenſes, De Molaria, Filios Urſi, Paparones, Capiſuccos, De Comitibus, Columnenſes, Creſcentios, Parentios, De mala Branca, De Pontibus, Perleones, comperimus ipſi adfuiſſe apud Scriptores rerum Francorum* (a), & *tales*, & *Romæ oriundos aſſerunt Camillus Tutinus in libello de Septem Regni Officiis* (b), & *Ferdinandus de Marra* (c), *qui familiam DE PONTE ſanguine conjunctam nobilibus de Moliſe*, & *de Marra in Regno Neapolitano; item Urſinæ genti*, & *Columnenſi Romæ, eamdemque in Regno noſtro; quàm in Eccleſiaſticis finibus, oppidorum dominiis inſignem ſcribit, memoratque Romæ ad noſtra uſque tempora extare illuſtres ædes à Pontianis excultas. Legitur prætereà in Scriptoribus actorum D. Franciſcæ Romanæ ipſam Laurentio de Pontianis juveni,*

(a) *Lib.* 5.

(b) *Fol.* 75.

(c) *De Famil. ſuæ annexis, fol.* 200

*æquè*

*æquè diviti, ac nobili nupſiſſe.*

*Ex hoc, quod clare ex hiſtoricis patet vetuſtioribus, veritati conſonum erit, gentem* DE PONTE, *& Horatiam unam, eandemque eſſe, more apud Romanos tradito; ut cognomina familiaria, aut à virtute, aut ab inſigniori aliquo facto caperentur. Horatios porrò floruiſſe tum Regibus Romæ dominantibus, cum etiam in Rempublicam translato regimine compertum eſt, atque inter Patritios connumeratos fuiſſe. Ex eorum numero extitere tres illi Horatii germani fratres, qui cum Curiatiis fratribus pugnantes patriæ ſuæ libertatem, & imperium victoria aſſeruerunt contra Albanos. Ex horum ſtipite Horatius Cocles Romanæ fortitudinis exemplar, in ponte Sublicio ſolus Porſennæ Etruſcorum Regi, ejuſque exercitui ſe opponens reſtitit, ne per illum*

*ad*

*ad patriam capiendam pervaderent, & eò uſque pugnando hoſtes repulit, donec Romani cives poſt ejus terga defenſum Pontem ſolverent, urbemque ſervaſſent. Scilicet Roma, ut debuit, plauſit victori, eidemque ſtatuam æneam erexit, numiſma in ejus honoris excudit pontis imaginem, & geſtæ rei memoriam præſeferens* (a); *ut & aliud numiſma in honorem M. Emilii, qui eundem Pontem fermè collapſum poſt ætates reſtauraverat excuſum inſpicimus* (b). *Et duplicia ejuſcemodi memini vidiſſe argentea aureis loculis condita ex dono Philippi Urſini Gravinenſium Ducis apud Flumarenſium Ducem Joſephum DE PONTE, M. Æmilium, & refectum pontem, in quo equeſtris ſtatua Horatii, gemina facie demonſtrantia. Hinc facilè credendum poſteros ab eodem Coclite prognatos ejus ho-*

(a) *Famil. Rom. Fulvii Urſini fol.* 109.

(b) *Idem fol.* 5. & 6.

*honoris , & facti gloria inſignes cognomen DE PONTE aſſumpſiſſe, ut quod in ſtemmatibus præſeferebant , Pontem ſcilicet , ſuper Tiberino flumine duabus impoſitis turribus oſtentandum , idem egregii facti documentum aſſumpto cognomine DE PONTE familiæ adſciſcerent. Ambas verò turres ad id commentatas liquet , quaſi duplicis facti monumenta poſita , ſcilicet hoſtium alteram expulſionem , alteram civium defenſionem notantia. Enimverò hæc eadem familiaria inſignia recentiores Proceres DE PONTE retinuerunt adjecta , uti libuit , varia inſcriptione.*

Alterum propugnando , alterum repellendo.

*vel* Per ſingulos gradus admoneor triumphi mei.

*aut* In Domino facit virtutem.

*Pontem hunc , & turres ambas ar-*

*argenteo colore ditatas exhibent, ut fidei candorem ſignificent, totumque emblematis corpus in area cærulea exponunt.*

*Hinc in Belgio, Germania, Hiſpania, in Regno Neapolitano, Sabaudia claruerunt Pontiani, & ubique dominiis oppidorum, Regumque familiaritate ornati fuere, & in varias diſtincti propagines, exercituum duces, dynaſtas, claroſque bello, & pace viros, Eccleſiæ Pontificem Maximum, Cardinales, militiæ Hieroſolymitanæ Magiſtrum, innumeros eidem fortes equites, & alibi Venetæ Reipublicæ ducem, alibi pietate, & morum probitate inſignes viros peperere.*

*Ejuſdem verò familiæ viros modò Ponſos, modò Pontianos, modò DE PONTE, modò à PONTE dictos eſſe cōperimus; nec tamen ullo diſcrimine diverſos. Italicis enim nominibus, uti*

*temporum, & linguarum varietas ducebat, ſæpè vel in totum mutare cognomina contigit. Nulla autem veritate nituntur, qui ſuſpicati ſunt, ipſos DE PONTE à Caſtro, quod in Umbria eſt, cui nomen fuit DE PONTE, ac in quo dominati ſunt, cognomen illud mutuò accepiſſe: vero enim ſimiliùs eſt dominos ipſi Caſtro potiùs dediſſe, quam ab illo recepiſſe cognomen.*

# SECTIO I.

## De Othone I. & Vvicardo, & Lupoldo.

*EX Italia itaque, Romaque Carolo Calvo imperante in inferiorem Germaniam militiam ſequutus, profectus eſt Otho DE PONTE, qui honorificis geſtis comitatus titulo*

Digitized by Google

*tulo inſignitus Wicardum, & Lupoldum filios dominii hæredes habuit. Hi cum conſtruxiſſent egregiam arcem, Ghelder appellatam, ab eadem Gheldriæ Provinciæ nomen profluxit. De his fratribus illud facinus inſigne in hiſtoriis habetur, quod heroicum ipſorum animum, fortitudinemque teſtatur: nam cum in ea provincia monſtruoſa bellua, & ingentis magnitudinis diſcurreret, armentis, hominibus, & regioni omni infenſa, nec alius quiſquam de ea debellanda auderet; ipſi fratres, charitate in ſuos, famæ gloria impulſi cominus cum ipſa bellua pugnare non dubitaverunt, eaque fortiter extincta liberata patriæ, & ultrà civicam lauream, laudem incomparabilem quæſivere. Unde quidam vates poſtera ætate tali inſcriptione non inſulſa eoſdem celebravit.*

Nobile par fratrum, ingenti concurrere monſtro
 Quos virtus nimia, & patrius egit amor.
Nulla fluet, veſtrum nomen, quæ deleat ætas:
 Vel meritum multo fraudet honore genus.
Jamque Erimantæos taceat fabella labores,
 Et victæ Alcidi paſſa pericla feræ:
Invitum hunc pugnæ traxerunt juſſa novercæ:
 Vos populis propria ſponte tuliſtis opem.

*Hanc autem rem inſignem ex Cronico Gheldriæ Henrici Aquilii narrat Abraam Ortelius in teatro orbis terrarum his verbis*: Tempore Caroli Calvi Imperatoris verſus eum locum, ubi Gheldria oppidum eſt immane quoddam, & venenoſum animal, illiſque locis inviſum ſub æſculo arbore delituiſſe miræ magnitudinis, & inauditæ atrocitatis. Beſtia illa agros devaſtavit, pecora, & animalia minora devoravit, & ne ab hominibus quidem abſtinuit. Vicini rei novitate, & atrocitate finibus ſuis exceſſerunt, ſeſeque in ſolitudines abdiderunt. Dominus quidam DE PONTE filios duos habuit. Hi partim rebus propriis conſulen-

ſulentes, partim vicinorum calamitatibus ſuccurrentes ſumma calliditate, ac audacia animal aggreſſi, diuque luctati, tandem interfecerunt. Ille vero haud procul à Moſa ad ripam Nerſæ in rei memoriam arcem extruxit, quam GELRE appellavit, eo quod interfecta beſtia crebro clamore, & horrendo mugitu Gelre Gelre ſæpius ingemuiſſet.

*Ne autem inſolitum, & inſuetum factum narrare videar, quod alicui hæſitationem præbeat, non ambigitur, quandoque (quamvis perrarò) viſam naturam per ætates hæc monſtruoſa animantia progenuiſſe. Legimus in Livii hiſtoria Attilium Regulum cum exercitu progredientem in ingentis magnitudinis belluam incidiſſe, in qua debellanda partem ſuorum ab illa necatorum amiſerit, quamvis pugnantium mi-* *Epit. Liv. lib. 18*

*litum*

*litum numero & ictibus confoſſa tandem occubuerit. Non diſparem caſum in Rhodo Inſula accidiſſe comperimus, ubi non diſſimile repens animal, & infeſtum enatum erat, à quo multis hominibus occiſis Inſulani deterrebantur adeò, ut à ſpecu, & Regione, in qua latitabat, omnes longè abſtinerent; donec invicti roboris Eques Hieroſolymitanus Deodatus à Gozon genere Gallus eam perniciem, vel cum ſuæ vitæ periculo auferre tentaverit. Is itaque ad fictum Draconem venaticos canes aggrediendum diù aſſuevit, ut poſtea verum retinere non dubitarent. Hinc cum iis lancea instructus progreſſus comminùs, & ab auxiliaribus canibus in pugna juvatus replicatis ictibus confodit, atque exantlati periculi, quamvis primò à Hieroſolymitano Magiſtro infami carceris pœna fuerit mulctatus,*

*tus, tamen in dignitatem poſtea reſtitutus, & eximios bonores tulit, dignuſque putatus eſt, qui in hiſto-ſtoriis Rbodianis memoraretur. Horum alter Wicardus latè dominatus eſt relicta longa poſterorum ſerie, quæ tandem in Adelaidē fœmina extinta eſt. Hæc nupta Otboni Comiti Naſſavio in alienam familiam ditionem tranſmiſit, quod ex Wolfango Latio babetur, & à Guilielmo Im. Of.* (a) *bis verbis*: Nimirum Otho cum Adelaidam Wicardi tertii ultimi Gheldriæ præfecti è familia Dominorum DE PONTE gnatam unicam circa annum 1061. uxorem accepiſſet Gheldriæ etiam principatum obtinuit, & primus Comitis Gheldriæ, titulo ab Imperatore Henrico IV. anno 1079. ei vel dato, vel ſaltem firmato appellatus eſt.

*Scot. hiſt. phiſ. par.2.fol.*

(a) *In notit. procerum German. l.b.5.cap.6.fol.* 325.

SE-

# SECTIO II.

## De Lupoldo I., Othone II., & ejus filiis Petro, & Aloyſio.

*HOrum ergo fratrum alter Lupoldus in Italiam rediit, & ex hoc Lupoldo I. Otho II. duos filios Petrum, & Aloyſium* DE PONTE *progenuit. Hi avitam fortitudinem imitantes Othonis Cæſaris partes in Italia ſequuti, quamplurimas de Berengario Rege victorias retulerunt, ejuſdem impetum, quo Matelicam aggrediebatur frangentes, totaque Æmilia excedere coegerunt. Grato ergo animo Agapetus II. Pontifex Maximus, ac Otho I. Cæſar quantum eorum vis Italicæ felicitati profuiſſet agnoſcentes amplo diplomate lato Viter-*

*bi*

Digitized by Google

*bi IV. Id. Dec. DCCCCLXII. Ipſo Agapeto II. aſſentiente Matelicam, cum omni imperio, & juribus conceſſit, quinimmo voluit, ut cognomini DE PONTE cognomen quoq; Othonis ſuperaddere liceret, & ſtemmati gentilitio Aquilam Imperialem inſerere poſſent. Hujus ſpecioſi diplomatis tenorem integrum libet inſerere.*

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. OTHO PRIMUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR, ET SEMPER AUGUSTUS. Quoniam Imperialis Majeſtas deſiderium benemeritorum ſua voluntate, ac aſſenſu occurrere, & dignitate, ac bonorum cumulo munificenter fideles decorare conſuevit, ut eorum fidelitas in dies ad ſerviendum Imperio animetur, & accendatur; hac conſideratione inſpecta, ut cognoſcat

ſcat tam præſens ætas, quam ſucceſſura poſteritas, quod nos circumſpectam fidem, ac ſinceram dilectionem Ludovici, & Petri DE PONTE fidelium noſtrorum, & grata ſervitia, quæ Eccleſiæ Romanæ, & Imperio intrà, & extrà Italiam exibuerunt conſiderantes, eos undequaque locupletari volumus, & primò Caſtrum Matelicæ reficiendum, & reſtaurandum eiſdem Ludovico, & Petro, & eorum ſucceſſoribus, aſſentiente etiam Domino Papa Agapeto II. conceſſimus, & in perpetuum donavimus cum omni ejus diſtrictu, & hominibus tam intrà, quam extrà, & cum univerſis juſtitiis, & rationibus eorum Imperio attinentibus, & ut eorum actiones erga noſtram Majeſtatem, atque Imperio ſucceſſorum noſtrorum ſub utroque tempore ſemper paratæ ſint ex noſtro proprio nomine,

Digitized by Google

mine, cognomine Othonis eorum



familiam nomina-
re, & in- ſigniis A-
quilam li- beralitate
Auguſta ſuperad-
dere con- ſtituimus;
ſtatuen- tes, & fir-
miter prę- cipientes,
ut nulla unquam perſona humilis, vel abjecta, Eccleſiaſtica, ſive Sæcularis audeat memoratos Ludovicum, & Petrum Othones, aut ipſorum hæredes in hac noſtra ſucceſſione impedire, & ipſis damnum aliquem, ſeù gravamen irrogare. Et ſi quis auſu temerario facere præſumpſerit pro pœna in vindictam ſui reatus auri puriſſimi libras centum quinqnáginta dimidium Cameræ noſtræ reliquum paſſis injuriam perſolvēdas componat, & ut robur noſtræ conceſſionis perpetuum ſit, hanc paginam conſcriptam ſigillo noſtro com-



Digitized by Google

muniri juſſimus. Hujus rei teſtes ſunt Egenulphus, Magdeburgenſis Princeps, Guillelmus Miniæ Pal. Joannes almæ Urbis præfectus, Marchio Edeganus, Vuota Comes, Encherius, & alii complures. Acta ſunt hæc, Anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo, ſexageſimo ſecundo, Indictione quinta, Regente Domino Othone I. Romanorum Imperatore: Regni, & Imperii ſui anno vigeſimo ſexto. Datum apud Viterbum V. Id. Dec.

*Hujus porrò diplomatis memoriam reddunt, & tenorem Ferdinandus de Marra (a), & Franciſcus Sanſovinus (b) familias Italiæ illuſtres deſcribens, & præterea Julius Cæſar Capaccius (c) compendioſis verbis.*

*Hinc factum putatur, ut ex hac victoria, ac in ejus monumentum familiaribus inſigniis antiquis decem, & octo vexilla, quæ ſci-*

(a) *Fol.* 298.

(b) *In Familiis Italiæ fol.* 35.

(c) *Fol.* 875.

Digitized by Google

*ſcilicet à Berengario, ejuſque exercitu fugato, & cæſo retuliſſent Pontiani, ſint circumpoſita. Complura etiam alia, quæ eorum poſteris Umbriam incolentibus à Federico I. Imperatore anno 1185. collata ſunt beneficia, ac etiam, quæ ab Othone IV. anno 1209. enarrat Platina (a). Inter ipſos memoratur præcipuè Bulgaruccius Otho* DE PONTE, *in quem Ludovicus Bavarus ſuas Vicarias vices tranſtulit per Regiones Eccleſiæ ſubjectas, ut ex eodem Platina, exercendas: Item inſignis fuit Gregorius Otho* DE PONTE *anno 1230. Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Aquiro ab Anacleto Antipapa creatus, qui poſtmodum ab Innocentio II. legitimo Pontifice nihil impediente electione prius improbata; ſed viri merita proſequente Innocentio, confirmatus eſt, ut legimus in Ciaccone in vita Clemen-*

(a) De Pontif. fol. 94.

*tis*

(a) Fol.423. *tis Sexti, & Panvineo (a).*

*Ulterea inter Venetos numeratur Rainerius* DE PONTE *Veneti exercitus Dux, qui bellicis geſtis eidem Reipublicæ mirificè fuit commendatus, ex Sanſovino de familiis illuſtribus (b).*

(b) Fol.36.

# SECTIO III.

## De Petro II. & Rualone.

PORrò *bujus præclaræ familiæ proceres non in Æmilia tantum, Gheldria, Germania, Hiſpania, Sabaudia, Romæ, & Venetiis; quin etiam in noſtro Neapolitano Regno latè claruere. A Petro namque I. progenitus eſt Lupoldus II. qui Petrum alium II. protulit ex Matelica, in Regnum Neapolitanum digreſſum. Invenimus enim uſque ab anno MCXXIV. Rualonem,*

Digitized by Google

*lonem, alias dictum Nebulonem DE PONTE Petri II. filium multis in hoc Regno titulis inſignitum. Hunc Averſæ Baroniæ titulo legimus decoratum apud Capaccium (a). Rogerii Regis ævo, qui titulus commenſalibus, & contubernalibus regiis impartiebatur. Hunc eundem Rualonem multorum feudorum dominiis potitum comperimus, ac poteſtatem habuiſſe iuveſtiendi, ac feuda aliis concedendi, & Quercum majorem ſub ſua ditione detinuiſſe. Id quod eruditiſſimus Borrellus (b) ex verbis hujuſcemodi diplomatis arguit, quæ hæc fermè ſunt:* Dominus Nebulonus DE PONTE tenet Quercum majorem, quod eſt feudum unius militis, & Benedictus de Vipera tenet Viperam à Domino Nebulone DE PONTE, quod eſt feudum unius militis. *Pietatis verò, & liberalitatis ejuſdem clarum*

*præ-*

(a) *Fol.* 875.

(b) *Fol.* 1. *Campanile in fam. de Sangro, de Lellis in fam. Baraballa, & Dux Guardiæ in famil. Avezzano.*

*præbent argumentum donationes, quibus duo prædia inſignia in agro Averſano Caſſinenſibus Monacis D. Severini Neapolitani largitus eſt, quarum tenor ad memoriam in Archivio ejuſdem Cœnobii huc uſque ſervatur. Itaque meritis, dignitatibus, divitiiſque onuſtus, fæcunditate etiam inſignis Andream, Gainum, aut Thodinum, Rinaldum, Robertum, Bartolomeum, opibus potentes, quinque filios relinquens exceſſit.*

# SECTIO IV.

## De Andrea Tallacotii Domino, Gaino, Rainaldo, Roberto, Bartholomæo, & Ioannè, Andreæ filiis.

*SEd ut ulterius progrediamur, Andreas de Ponte Patritius Nea-*

*Neapolitanus in oppido Tallacotii dominatum habuit. De hoc compertum habemus, quod cum inſtructam turrim Tallacotii ædificaviſſet anſam ſuſpicionis Imperatori Federico II. dederit, unde diploma extat, quo de ea conſtructione contra leges facta Imperator quæri juſſerit in hæc ferè verba (a):*

Eodem die de mandato, facto per Magiſtrum Petrum de Vinea ſcripſit Petrus de Capua ad B. Piſſone; Juſtitiarius Aprutii ſignificavit Excellentiæ noſtræ Bartolomeus de Tallacozza fidelis noſter, quod Andreas, & Jo: DE PONTIBUS in Caſtro Tallacotii turrim conſtruxerit de novo, in qua nunquam turrim eſſe conſuevit; cum igitur hoc contra prohibitionem noſtram factum videatur, volentes ex indè plenè ſcire certitudinem veritatis, fidelitati tuæ præcipiendo

(a) *In libro Imperatoris Federici, qui conſervatur in Archivio Regiæ Curiæ Siclæ anni 1239. fol. 72.*

D man-

mandamus, quatenus per aliquem fidelem virum, de quo nulla ſuſpicio haberi poterit, inquiri facias ſuper hoc diligentiùs veritatem, quo tempore ſcilicet turris ipſa conſtructa ſit, & in qua parte Caſtri, & cujus eſt altitudinis, & januæ conſiſtat, & quicquid ex indè inventum fuerit ſub ſigillo tuo ad curiam noſtram mittas.

*Hinc, & virum ſummæ potentiæ fuiſſe indicatur, & eundem Joannem DE PONTE filium habuiſſe conſtat ex iis, quæ in libro Imperatoris Federici anni 1239. ſcribuntur, quorum exemplaria conſtant in proceſſu, cui titulus:* Illuſtris Joannis Franciſci DE PONTE cum illuſtri platea Sedilis Portæ novæ.

*Gainus, ſeu Todinus, Rinaldus, & Robertus Regis, cui inſerviebant,* gloriæ

*gloriæ cupidiſſimi, & ſuam dignitatem ampliaturi, milites ultrò plures, quam eorum feudalia ſervitia indicta exigerent ad medietatem uſque exibuerunt. Quod Pater Borrellus in ſuo Catalogo (a), ex ejuſmodi verbis diplomatum excipit:*

Gainus De Ponte tenet in capite, à Domino Rege in Marſis Moranum, quod eſt feudum trium militum, & tenet medietatem Sculculi, quod eſt feudum duorum militum, & tenet in Garzoli medietatem Auriculæ, quod eſt feudum unius militis, una inter feuda, & augumentum, obtulit, milites quatuordecim, & ſervientes vigintiocto; & ſi neceſſitas fuerit in partibus illis, &c.

*Animadvertere autem hic libuit, quod ſecundum Italicam diſciplinam, milites fortiores, & Cataſracti equites dicebantur, qui armorum*

(a) *Poſt caſtigationes ad Ælium Marcheſe.*



Digitized by Google

*pondere inſtructi, duos ſinguli equos, in bello ducebant, unde ut militum cuilibet, duo ſervientes præſto eſſent ad equos inſteruendos, curandoſque conſtitutum fuerat. Levioris autem armaturæ equites non eo indigebant apparatu, quæ omnia ex ſcriptoribus Italorum illuſtrium virorum, & præcipuè in vitis Viſcontiorum, & magni Sfortiæ indicat Jovius. Ut autem cætera proſequamur, poſtquam de Thodino ejuſcemodi ſcriptor ille retulerit; de Rinaldo hæc diplomatum verba refert (a):*

(a) *Borrell. ubi ſupra.*

Rainaldus DE PONTE tenet in capite à Domino Rege in Marſis Pontem, quod eſt feudum trium militum, & tenet in Garzoli medietatem Auriculæ, quod eſt feudum unius militis, & medietatem Sculculæ, quod eſt feudum duorum mi-

militum, & quintam de Pereto, & quintam de Foſſacæca in Garzoli, & quintam partem de Podio in Marſis, quod eſt feudum unius militis, & quintam de Tramonta, una ſunt feuda militum ſeptem, & augumentum ejus ſunt milites ſeptem, una inter feuda, & augumentum obtulit, milites quatuordecim, & ſervientes vigintiocto, & ſi neceſſitas fuerit in partibus illis, quotquot habere poterit.

*Addit poſtremò Borrellus, quæ de Roberto excepta ſunt, ex regeſtris in hunc ferè modum:*

Rubertus DE PONTE tenet Gerizzam, & Guiperanum, quod ſolum eſt feudum unius militis, & cum augumento obtulit, milites duo; & prædicta Gerizza, Guiperanum, ſunt feuda duorum militum, & cum augumento, obtulit quatuor, quibus

bus prædictis augumentum milites ſex, & ſervientes ſex.

*Bartholomæus autem Rualoni natu minimus Regi apprimè charus fuit, dominioque oppidi Sanctæ Agathæ potitus eſt, pluribuſque ornatus eſt liberis, quorum cuſtodiæ, omiſſis aliis Regni proceribus Inſubres captivos, tempore Friderici Secundi commiſſos notat Borrellus iis verbis:* Filii Bartholomæi DE PONTE feudi Sanctæ Agathæ, & quam plurimum aliorum hæredes. *De his tamen Bartholomæi filiis nulla eſt apud Hiſtoricos memoria, quæ eorum nomina pandat, præterquam Iſuardi. Hujus autem Iſuardi nobilitatem Rex ipſe teſtatur, ex his verbis, quæ Franciſcus Zazzara* (a) *retulit:* Vir nobilis Dominus Iſuardus DE PONTE. *Enim verò nobiles tunc à Regibus non appellaban-*

(a) Par. 1. fol. 229.

*bantur, niſi qui ex antiqua proſapia, dignitatum poſſeſſione, titulorum augumento fuiſſent aucti, & regalibus fuiſſent inſigniti, undè liceat huc afferre verba Sigonii, de Regno Italiæ* (*a*). Siquidem more à Francis accepto, fortiſſimum quemque militiæ ſuæ adſcribere, eoſque qui ſtrenuam ſibi, fidelemque operam navaſſet, regalibus ſuis inſignire inſtituit. Erant autem regalia, dignitates, & prædia, quæ Rex benemeritis, ad arbitrium concedebat. Dignitates, ut Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valvaſores, & Valvaſini; Prædia, ut vectigalia, Telonea, portus, ripatica, pedatica, monetæ, piſcariæ, molendina, ſalinæ, fluminum uſus, & omnis proficiſcens ex illis, proventus, & quæ generis erant ejuſmodi. Unde novæ nobilitatis ratio in Italiam eſt in-

(a) *Sigon. lib. 7. de Regno Ital.*

inducta, ut ii demum ſoli nobiles judicarentur, qui ipſi, aut eorum majores iis, atque ejuſmodi aliis honeſtati privilegiis eſſent. *hucuſque Sigonius. Præterea conſtat tempore Caroli Primi Andegavenſis, eos demum nobiles à Rege dictos eſſe, qui proximi regali poteſtati, & muneribus ampliſſimis in republica eminerent, aut ex antiquis propaginibus profluxiſſent. unde Scipio Admiratus (a), nobiles à Rege dictos docet, eos proceres ſcilicet, Guidonem Monfortium, qui Nolæ Comitatum obtinuerat, Simeonem Monfortium cui Abellinum Urbem fuerat largitus, Guilielmum Belmontium, cui Caſertæ Comitatum impertitus erat, Radolphum Corciniacum Theatæ dominio potitum, & Enricum Valdemontium Ariani Civitate donatum. De hujus Iſuardi filiis dicetur inferius.*

(a) *Tract. de' titoli.*

SE-

# SECTIO V.

## De Fulchetto, & Andrea, Iſuardi filiis, & Bernardo, Fulchetti filio.

EX Iſuardo autem, de quo dictum eſt, duo profluxere filii, Fulchettus alter, alter Andreas, in quibus avita continuata eſt gloria, imo iidem incrementum recepere dignitatum ſub Regno Caroli ſenis, & Caroli Claudi, apud quos Reges floruerunt. Fulchettus enim, & genere, armiſque clarus, qui potiùs Fulconus dicitur, in regeſtro anni 1296. Caſtellanus Caſtriveteris, & Arcis Nuceriæ paganorum electus legitur, & poſtea à Rege Carolo Secundo Caſtrum de Baronia obtinuit, cum hominibus, vaſſallis, juriſdi-

*riſdictione, quod in feudum ipſi, ejuſque legitimis hæredibus utriuſque ſexus, conceſſum eſt, ut in regeſtro Caroli Secundi. Andream verò Regis familiarem, & ejuſdem Conſiliarium, Epiſcopum Salernitanum conſecratum comperimus, cujus meritis factum eſt, ut Bernardus, ex Fulchetto fratre nepos, in Cambellanum, ut dicunt, & Regis familiarem fuerit adſcriptus, unde extat illud Regis Roberti diploma (a).*

(a) *In reg. Reg. Roberti ſine coperta fol. 32. at.*

Univerſis præſentes litteras inſpecturis. Facit perſonæ conditio, ut non ſolum meritum ſibi præmium vindicet, ſed favorabiles gratias aliis cum placidæ largitionis exhibitione, procuret, itaque conſideratione venerabilis in Chriſto patris Dei gratia Archiepiſcopi Salernitani, dilecti Conſiliarii familiaris, & devoti noſtri Bernardum DE PONTE nepotem ejus, fidelem, & devotum

no-

noſtrum, proſequentes, benignitatis noſtræ gratia, & favore, ut ejuſdem Archiepiſcopi meritum pandamus in eodem Bernardo per extrinſecæ dilectionis affectum, prædictum Bernardum, in Campellanum, & familiarem noſtrum præſentium tenore recipimus, & aliorum Campellanorum, & familiarium noſtrorum numero aggregamus, volentes, atque mandantes, ut Bernardus idem illis propterea honoribus, favoribus, gratiis, & prærogativis potiatur, & gaudeat, quibus cæteri Campellani, & familiares noſtri ſoliti ſunt potiri, in cujus rei teſtimonium præſentes literas ſibi exinde fieri, & pendenti Majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Datum Neapoli anno Domini 1327. die undecima Julii, decimæ indictionis, Regnorum noſtrorum anno 19.

*Idem Bernardus inter Sacræ Mili-*

*tiæ Hieroſolymitanæ equites receptus ſub eodem ordine vitam duxit (a).*

(a) Zazzera in prima parte nobilitatis Italiæ, fol. 230.

# SECTIO VI.

## De Neccolano, & Andrea ſecundo, & Iacobo filiis.

E*X filiis Rualoni, nedum Bartholomæus, ſed Andreas etiam æque illuſtris, & fæcundus, ut ſupra innuimus, Joannem progenuit; ex Joanne verò Neccolanus natus eſt, errore forſan Scriptorum, Nevalonus appellatus, de quo habetur in libro Imperatoris Friderici anno* 1239. *(b) inter reliquos Barones fuiſſe, quibus inſubres captivi, in cuſtodiam ab illo ſint traditi, ut advertit Borrellus. Neccolano nati ſunt Andreas Secundus, & Jacobus, conſilio, & robore ambo præſtantes:*

(b) In libr. Imp. Federici an. 1239. fol. 42.

*qua*

*qua de cauſa Jacobus Prætor prius Orvieti, poſtmodum Meſſanæ præfectus, legitur apud Abraam Zovium in ſuis annalibus Eccleſiaſticis (a) anno 1257. ſub Alexandro IV. poſt Fazelium, & alios Auctores* : In Sicilia Joannes Columna Archiepiſcopus Meſſanenſis, Pontificis legatus, & Jacobus DE PONTE præfectus, Meſſanam Urbem de Manfredianis receptam, nonniſi ſeptem menſes tenuerunt. *Andreas Jacobi frater, munus Juſtitiariatus Aprutii citrà flumen Piſcariæ exercuit, ut notatur à Franciſco Zazzara prima parte Italicæ nobilitatis (b), prudentia, & induſtriæ opinione apud Carolum I. adeò valuit, ut quatuor ejuſdem Regis epiſtolæ ad eum datæ, cum honorum commemoratione legantur, ut videndum eſt in regeſtro (c) jam dicti Regis. In una præceteris pecuniarii ſubſidii collector deſignatur,*

(a) Tom. 13. anno 1257.

(b) Fol. 229.

(c) Fol. 43.

*ut*

*ut Regis neceſſitatibus ſubveniretur, cujus tenorem libet hic inſerere.*

CAROLUS SECUNDUS DEI GRATIA REX Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, &c. Andreæ DE PONTIBUS militi, & Juſtitiario Aprutii citrà flumen Piſcariæ, fideli ſuo gratiam ſuam, & bonam voluntatem, cum pro multis arduis, & expreſsè Curiæ noſtræ ſervitiis Camera noſtra plurimum egeat, volumus, & tuæ fidelitati firmiter, expreſsè præcipimus, quatenùs ſtatim viſis præſentibus univerſitatibus ſubſcriptarum terrarum Provinciæ tibi decretæ, ex parte noſtra requiras, & roges attentè eas quanto curialius, & amicabilius poteris, inducens, quod nos in tam magnæ neceſſitatis articulo de ſubſidiario pecuniæ decenti ſubveniant, quod ſubſidium, nulla mora protracta, in-

inſtantes ab univerſitatibus ipſis, ſicuti promiſerint, colligi facias, &c.

*Eidem etiam altera epiſtola injungitur, ut Prælatos, Comites, Barones, cæterosque nuntios oppidorum Provinciæ Aprutinæ Neapolim convocare deberet ad perſiciendum generalè concilium, ſive parlamentum in feſto die Nativitatis Beatæ Virginis menſe Septembris, quo Carolus Regis primogenitus ſuſcepturus erat militare cingulum* (a). *Hunc Andream innumeris ditatum tum maſculæ, tum fœminæ ſobolis filiis invenimus. Fœminæ fuere Sibilla, & Maria. Mariam alicui nupſiſſe non conſtat; Sibilla ducta eſt in uxorem ab Urſillo ex clariſſima Urſinorum familia, Matthæi Urſini filio, & quoniam mos tunc erat; ut in nuptiis magnatum regius etiam aſſenſus peteretur, quo ex ipſius nutu pendere in omnibus indicarent*

(a) Tutin. in orig. Sedil: cap. 14. fol. 143.

carent

Digitized by Google

(a) 1271. lit. B. fol. 12. at. *carent in regeſtro Caroli Regis I. (a) in hunc ferè modum ille præſtitus reperitur.*

Scriptum eſt univerſis præſentes, &c. in forma de matrimonio contrahendo inter Urſillum filium Matthæi de Urſino de Urbe, & Sibiliam filiam Andreæ DE PONTIBUS, cum rebus mobilibus tantum pro valore centum unciarum, &c.

*De qua etiam affinitate meminit Ferdinandus de Marra in libello de familiis ſuæ annexis (b).*

(b) Fol. 248.

*Andreæ filii fuere, nedum Rogerius, ſed per multam fæcunditatem, Gualterius, Rainaldus, Agotus, Dionyſius, Guilielmus, Andreas III. Franciſcus, Petrus, & Jacobus, qui quoniam varia ſorte, diverſiſque dominiis, exculti vixerunt opus eſt, ut ſingillatim de ipſis, & eorum poſteris memoria tradatur Sectione ſeptima.*

SE-

# SECTIO VII.

## De Franciſco, Rainaldo, Odoriſio, Agoto, Gualterio, Guilielmo, Andrea, Franciſco, Petro, & Iacobo, Andreæ II. filiis.

D*E Franciſco Andreæ, natu primo, quamvis geſtorum ſplendore, & Caroli II. gratia valuerit, notum tamen non eſt, habuerit nec ne filios ſuæ ditionis hæredes. Legimus tantum in regeſtro Caroli II. (a) quod Regia munificentia Caſtrum Roccæ de Cerris, quod prius ad beneplacitum obtinuerat, abſoluta donatione, una cum feudo Tramonti poſtmodum receperit, cujus donationis præcipua verba fas erit hic ſubjicere.*

(a) 1298. *lit. A. fol.* 11.

F No-

Noverit fidelitas tua, quod nos Franciſco DE PONTIBUS, primogenito quondam Andreæ DE PONTIBUS, militis familiaris, & fidelis noſtri, conſideratione ſuorum fidei meritorum, & reſpectu non minùs ſervitiorum utilium, quod dictus quondam Pater ejus bonæ memoriæ Domino Patri noſtro, & nobis ſubſequenter exhibuit, Caſtrum Roccæ de Cerris, quod olim eidem Franciſco uſque ad noſtræ Majeſtatis beneplacitum dederamus, & inſuper Caſtrum illud, ſeu Caſale, quod dicitur inter Montes, ſitum in decreta tibi Provincia, cum hominibus, & vaſſallis, domibus, poſſeſſionibus, vineis, fortellitiis, planis, montibus, pratis, &c. Ipſum quidem beneplacitum noſtrum ad perpetuam gratiam extendentes prædicto Franciſco, & ſuis heredibus utriuſque ſexus ex ſuo corpore legitimè

timè deſcendentibus, natis jam, & in antea naſcituris in perpetuum dedimus, donavimus, & tradidimus, & ex cauſa donationis proprii motus inſtinctu, de novo conceſſimus in feudum nobile, de liberalitate mera, & gratia ſpeciali pro annuo valore unciarum auri quadraginta ſub ſervitio duorum militum, &c.

*Rainaldus alius ex filiis Rugerii militiæ Hieroſolymitanæ eques adſcriptus eſt, inde dignitatem Prioris Sanctæ Euſemiæ in Calabria Rege Carolo II. commendante eſt aſſequutus, quod indicant illa ſpecialia verba Regeſtri ejuſdem Regis (a).*

(a) 1295. *lit.* A. *fol.* 123.

De pecunia per eum recepta, ac exhibita, & ſoluta certis Almugaveris tam equitibus, quam pedonibus, ſub Capitania religioſi viri Rainaldi DE PONTIBUS hoſpitalarii, Prioris S. Euſemiæ ad ſervitia Regia in Rocca Imperiali morantibus.



Digitized by Google

*Andreas III. alius ex natis Ceciliam Columnam duxit in uxorem Stephani Columnæ Ducis præclariſſimi filiam, prævio Regis beneplacito, ut tunc moris erat, quod beneplacitum legitur in Regeſtro Regis Caroli I. (a). In quo aſſenſu præſtando, quia rigidè admodum, & ſuperſtitiosè agebatur, & in ſupplici libello bona feudalia omnia contrahentium opus erat declarare; juvat hìc diploma integrum referre.*

(a) 1271. *lit. A. fol.* 78.

CAROLUS, &c. Quoniam Andreas DE PONTIBUS miles familiaris, & fidelis noſter noſtræ celſitudini ſupplicavit, ut cum inter ipſum tenentem à Curia noſtra in Juſtitiariatu Aprutii Caſtra Pireti, & Auriculæ, & quartam partem in Tallacotio pro parte Andreæ Novelli filii ſui, qui non eſt major natus ex parte una, & Stephanum de Cōlumna tenentem in eodem Juſtitiariatu,

riatu, Sambutum, Podium de Valle, Retam de Alberico, Camaricam; Podium Pinſoviſci, & Podium de Viano, pro parte Setilis uxoris ſuæ eadem muliere per ſe, ut dicitur, nihil feudale tenente ex altera, verba ſint habita de contrahendo matrimonium ipſum ſic inter ipſos fideles de benignitate Regia concedere dignaremur. Nos autem ſupplicationibus inclinati, conſtito Curiæ noſtræ de fidelitate utriuſque, de contrahendo hujuſmodi matrimonio inter eos, dummodo utrique parti placeat benignè præſtitimus noſtræ Majeſtatis aſſenſum: noſtræ magnæ Curiæ reſervato, quod ſi prædicta mulier inventa fuerit tenere, & poſſidere aliqua bona feudalia ex quacunque ſucceſſione, vel cum dicta bona feudalia, quæ inventa fuerit, tenere, & poſſidere, in fraudem commiſſi mendacii, &

mani-

Digitized by Google

manifeſtæ fraudis, ac præſentis reſcripti veritate tacitè impetrati, cum juribus, & pertinentiis ſuis ad noſtrum Demanium revertantur, & à ſucceſſione feudalium fratrum ſuorum tenentium bona feudalia, juxta Regni cõſuetudinem penitus repellatur, &c.

*Ex hoc autem conjugio duo orti ſunt filii, Petrus ſcilicet, & Joannes. Petrus Tallacotii dominium adeptus à nonnullorum contentionibus, qui de eo diſputabant Regia auctoritate ſe tutatus eſt (a). Joannes verò militari peritia clarus, eques aurei calcaris creatur, & cum reliquis Regni Comitibus, Baronibus, & Beneficiariis, qui Ducem Calabriæ Roberti Regis primogenitum arma Tuſciæ inferentem comitabantur, ſodalitiam militiam exercuit, ut ex dictis Regeſtris Caroli Regis II. (b) nec quemquam horum fratrum uxorem duxiſſe conſtat.*

*Odo-*

(a) *Regiſt. Reg. Caroli II.* 1296. *lit. A. fol.* 11.

(b) 1298. *lit. A. fol.* 11. *& per Borrell. in fam. Rajano manuſcrip.*

Digitized by Google

*Odoriſius dominio oppidi de Sculcula potitus ſuos ſubditos Regia largitione ab Auguſtalium ſolutione exemit in præmium navatæ ab illis operæ in obſidione Caſtellionenſi per plures menſes. Poſtremò dominium illud pinguiori feudo permutavit, & pro Sculcula Pectoranum à Carolo I. obtinuit, addito beneficio collectæ, quæ dicitur de Sancta Maria, ut habetur in Regeſtris Caroli I. (a) Ab hoc prognatus eſt Vingiguerra, vel ut alii volunt Duraguerra, qui uxorem duxit Franciſcam de Moliſi antiqua, & illuſtri gente Moliſia prognatam, adeo ut una ex Regni Provinciis ad præſens uſque tempus comitatus Moliſii appelletur, nomine ex ipſa familia recæpto. Ex hoc conjugio tres liberos ſuſcepit Odoriſium II. Bartholomæum, & Franciſcum. Verum iniquo fato, omnibus his ſine ſobole defunctis Pe-*

*ctora-*

(a) 1284. *litt.* C. *fol.* 13.

*ctorani ditio Joannæ Vingiguerræ ſorori addicta eſt. Hæc Agotho de Corbano Regiæ ſtirpis viro nupta binas progenuit filias Iſuardam alteram Thomæ Sanſeverini Comitis Marſici uxorem: Margharitam alteram Riſtanio Cantelmo nuptam, unde in Cantelmos matris filios, hæredeſque Pectorani dominium tranſlatum eſt, quæ omnia ex ſcriptis à Ferdinando de Marra (a) in ſuo libello familiarum ſuæ junctarum, ac à Carolo de Lellis (b) clariùs colliguntur de fam. Regni nobilibus ſcribente.*

(a) *Famil. ſuæ conjunct. fol.* 7700.

(b) *De famil. Regni nobil fol.* 114.

*Agottus etiam Andreæ filius conſilio, & fortitudine commendatus à Neapolitano Rege, qui Comes ſupremus etiam Galliæ Narbonenſi dominabatur; cobortium Narbonenſium, quæ Neap. morabantur, moderator electus eſt, & titulum familiaris Regii propter inſignia merita à Carolo II. Rege obtinuit, &*

*caſtri,*

Digitized by Google

*caſtri, & terræ Rajani inveſtitura Regia liberalitate, & gratitudine decoratus eſt, ut eruitur ex Regeſtro Caroli Regis I. cujus præcipua verba ita ſonant.*

(a) 1284. 13. *indict. lit.* B. *fol.* 135. *at.*

Scriptum eſt univerſis hominibus Rajani. Cum viro nobili Domino Agotto DE PONTIBUS, dilecto militi familiari, & devoto noſtro fidei, & ſervitiorum intuitu, caſtrum, & Terram Rajani, cum hominibus, juribus, juriſdictionibus, & pertinentiis ſuis de mera liberalitate, & ſpeciali gratia noſtra uſque ad Regium beneplacitum duximus concedendum, &c.

*Gualterius nulli ſuorum fratruum ſecundus, eos omnes honoribus, fama, & divitiis ſuperavit. Etenim amplarum Regni dignitatum acceſſione evectus dominio Caſtellacii, caſtri de Judice, Sancti Nicolai de Calciſe, Caſamen-*

*doſæ, Sanctæ Mariæ potitus eſt, & in anno* 1300. *Magnus Seneſcalcus, Conſiliarius Caroli Regis II. Averſæ Comeſtabulus, & Dux Baronum Dauniæ legitur, quod memoratum habemus ab eodem Ferdinando de Marra in eodem ſuo libello, ac in*
(a) 1305. 1306. 4. *indict. lit. A. fol.*80. *regeſt. Caroli II.* (*a*), *& Roberti Regum* (*b*). *Imò ipſe Regiam aſſiduè mu-*
(b) 1309. 7. *indict. fol.*153. *nificentiam expertus annuum redditum triginta unciarum auri ab eodem Roberto conceſſum liberali largitione aſſecutus eſt. Item eidem Gualderio conceſſum eſt à Rege, ut à portu Manfredoniæ quadringentas frumenti ſarcinas, & centum ordei ad portum Piſcariȩ, & Terram Ferianam perducere, nulla portorii ſolutione liceret. Unde ejus reſcripti verba ſpecioſiora referre liceat.*

CAROLUS SECUNDUS, &c. Exaltat potentiam principum munifica

nifica remuneratio ſubjectorum, quia recipientium fides creſcit ex præmio, & alii ad obſequendum devotiùs animantur exemplo, attendentes igitur grata, & devota ſervitia, quæ Gualterius DE PONTE miles hoſpitii noſtri Seneſcalcus familiaris, & fidelis noſter dilectus Majeſtati noſtræ exhibuit, ad præſens exhibet, & exhibere poterit in futurum, de liberalitate mera, & ſpeciali gratia damus, donamus, & concedimus ſibi, & ſuis hæredibus utriuſque ſexus ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus in perpetuum, in augumentum videlicet proviſionis noſtræ ab hactenus eidem Gualterio per Excellentiam noſtram factæ annuum redditum unciarum auri triginta quinque ponderis generalis, &c.

*Aliud verò à Regeſtro Regis Roberti (a) ita ſonat.*

(a) 1300. 7. *Indict.* *fol.* 113.

Scriptum eſt Magiſtris Portulanis Apuliæ fidelibus ſuis, &c. cum nos Gualterio DE PONTE Militi familiari, & fideli noſtro, exituram ſalmarum quadringentarum frumenti, & centum ordei, ad generalem Regni noſtri menſuram vehendi per mare de portu Manfredoniæ ad portum Piſcariæ, & Terræ Flavianæ duximus concedendum, fidelitati veſtræ præcipimus, quatenus nuncium, ſeù procuratorem dicti Gualterii, præſentes vobis literas aſſignantem ejus nomine prædiſtinctas quantitates frumenti, & ordei ad eandem generalem menſuram de prædicto portu Manfredoniæ cum barris paucis à centum ſalmis infra capacitatibus, juxta tenorem capituli ſuper hoc editi extrahere liberè à jure quolibet exituræ, & deferri facere ad dictos portus Piſcariæ, Sancti Flaviani ſine alicu-

jus

jus contradictionis obſtaculo permittatis, recepta priùs ab extrahente victualia ipſa idonea, & fidejuſſoria cautione, quod prædictas quantitates frumenti, & ordei, non alio; quam ad prædictos portus Piſcariæ, & Sancti Flaviani quomodolibet deferet.

*Hic autem Gualterius (b), quamvis Beatricem de Marra uxorem duxerit, Viſonis de Marra filiam, ex ea cum filios non ſuſcepiſſet, tantorum feudorum numerus in Regium Demanium devolutus eſt, ea feudorum lege tunc vigente, ut fratres aliis fratribus in beneficiis noviter acquiſitis non ſuccederent.*

*(b) Marra in ſuo libello fol. 299. Zazzara fol. 29*

*Remanet nunc, ut de Petro III., Guilielmo, & Jacobo, aliis fratribus verba faciamus, & quidem Petrus Tallacotii dominio illuſtris, cum cœlibem duxiſſet vitam, nec filios procreaſſet ſucceſſorem ex fra-*

*tribus*

*tribus nepotes habuit, de quibus in Sectione IX. Guilielmus ab uxorio onere etiam alienus, ea tamen gratia apud Regem Carolum I. valuit, ut ille ſibi Capurſii feudum ſit largitus. Jacobus autem Philippellam de Grandinato ex vetuſtiſſima Neapolitana progenie uxorem habuit, è qua mares, aut fœminas progenuiſſe non conſtat.*

## SECTIO VIII.

## De Rugerio X. Andreæ II. filio, & Nicolao ejus filio.

Q*Uoniam ex tanta numeroſa ſobole Andreæ II. vix unus, & alter filiorum poſteros propagaverit. Rugerius certè ex iis prolificus fuit. De hoc autem, quoniam*

Digitized by Google

*niam de eo ſuperiùs tacuimus, aliqua ſubjungemus. Legimus enim, Rugerium à Carolo II. Rege in Samnio deſtinatum, qui vices regias gereret, unde cum ea Provincia maximè ab improbis turbaretur ad illos tumultus extinguendos, ut extra ordinem jus diceret à Rege injunctum eſt, ut conſtat ex ſequenti diplomate (a).*

Rogerio DE PONTIBUS Militi Juſtitiario Aprutii citrà flumen Piſcariæ familiari, &c. Sicut crebro in auditorio noſtro murmur obſtrepuit in totis terris, & locis è decreta tibi provincia, multi undique inſurrexere latrunculi, raptores ſtratarum, portatores armorum, prædones, malefici, viri nequam, per quos turbatur interdum in ipſa Provincia ſtatus pacis, committuntur maleficia, cædes fiunt, quibus cum ex ipſarum impunitate facinorum, tum

(a) *Regeſtro Caroli II. lit. A.*

etiam

etiam ex quadam confidentia de mitigato rigore juſtitiæ, per Capitula Regia, & ſpeciales Regni alias Sanctiones, tanta crevit audacia, quod videntur licentiùs ad graviora vagari; nunc autem cum malefici prædicti conſpiciunt in ſe propter capitulum beneficiorum ipſorum non rigore juſtitiam ad vindictam poſſint, & perperam ad pejora proſiliunt, & ad graviora procedunt: propter quod agnoſcentes in id eſſe ordinem, ordinem non ſervare, cum multis graſſantibus ſit opus exemplo; confiſi de zelo, quem ad juſtitiam geris, ut malefici, & maleficia compeſcantur, tibi de certa ſcientia noſtra præſentium tenore committimus, & concedimus poteſtatem uſque ſcilicet per totum menſem Februarii primi futuri 14. Indictionis duraturam, ut contra hujuſmodi viros nequitiæ, malefacto-

res,

res pravitatis filios in criminibus publicis poſſis extraordinariè ex officio, ſine accuſatore per generalem inquiſitionem, generaliter, vel ſpecialiter, & contra ſpeciales perſonas, & de ſpecialibus maleficiis ſolemnitatibus Judiciarii ordinis, &c. Datum Capuæ per B. de C. &c. die ſexta Novembris, decimæquartæ Inditionis.

*Eidem Rugerio alio reſcripto injunctum invenitur, ut ex ea Provincia, in qua jus dicebat, & pro Rege præſidebat certas pecuniarum quantitates, ex teloniis, & vectigalibus exigendas ſolvere Gualterio DE PONTE ſuo fratri Regii hoſpitii Seneſcallo pro debitis eidem penſionibus deberet, ut cernitur ex Regeſtro Regis Caroli II.* (a):

(a) 1300. *lit. A. fol.* 128.

Scriptum eſt Rugerio DE PONte militi Juſtitiario Aprutii citra flumen Piſcariæ familiari, & fideli, &c.

Cum facto finali computo cum Gualterio DE PONTE milite fratre tuo, noſtri hoſpitii Seneſcallo dilecto, familiari, & fideli noſtro de gagiis ſuis debitis ei per totum menſem Octobris præteriti proximi hujus XIV. Inditionis ratione Seneſcalliæ præfatæ, recipere debeat in noſtra Camera de gagiis ipſis per totum menſem eundem uncias auri decem, & octo ponderis generalis, illaſque per te ſibi velimus exolvi; tibi præſentium tenore præcipimus, quatenus eidem Gualterio, vel ſuo pro eo nuntio præſentes tibi literas aſſignanti, præfatas uncias auri decem, & octo prædicti ponderis, de quacunque fiſcali pecunia proventuum officii tui, reſiduorum quorumlibet generalium collectarum, & in alterius defectu de pecunia reſiduorum generalis ſubventionis, & doni anni nuper elapſæ XIII. Indictionis, ac

qua-

qualibet alia exiſtente, vel futura, per manus tuas pecuniæ, præſentis generalis ſubventionis anni præſentis dumtaxat excepta, ſine aliqua diminutione, ac difficultate perſolvas, & exinde recipias apodixam; non obſtantibus mandatis quibuſcumque contrariis; & illi præcipuè prædeceſſori tuo directis, ac per eum in pendenti traditis, vel tradendis, per quod injunctum tibi extitit, ut totam pecuniam præfatæ ſubventionis, & doni, dicti anni XIII. Inditionis, ſicut ea ſucceſſivè recolligeretur, nihil inde retento, vel aliud exoluto ſub pœna ſacramenti tui, & dupli, quam exinde contra prædicta mandata noſtra ſolveret, quantitates ad noſtram Cameram deſtinaret, nec de ea quidquam aliquid alicui exolveret pro quibuſcumque negotiis, aut perſonis auctoritate quorumcumque mandatorum facto-

rum, vel faciendorum in antea, niſi in quolibet mandatorum ipſorum contineatur. Datum per Magiſtros Rationales.

*Rugerius ergo Floriſiam de Catelli nobilis, & antiquæ originis fœminam duxit, ex qua familia nomen duxiſſe oppidum hodie dictum Petra Caſtella, ſive Catella certum eſt. Hanc itaque Floriſiam litem per Rugerium DE PONTE virum ſuum in affines de feudorum aliquot poſſeſſione contractam tranſegiſſe conſtat anno milleſimo trecenteſimo ſexto, cujus pactionis liceat particulam hic inſerere.*

Quod dum lites, ſeù controverſiæ verterentur inter nobilem Virum quondam Dominum Benedictum de Catellis, Patrem Ugonis de Catellis, Domini Riccardi, Analerii, & Roberti de Catellis filiorum ejuſdem Domini Benedicti ex parte una,

una, & nobilem mulierem Dominam Floriſiam de Catellis relictam quondam Rugerii DE PONTE ex altera, ſuper hoc videlicet, quod dictus Dominus Benedictus, ſeu ejus procurator de eo petierat à dicta Domina quartam partem Caſtri Catelli, & reliquam medietatem Caſalis Roccæ de Catellis, ſivè Caſalis plani, cum hominibus, vaſſallis, juribus, pertinentiis ſuis omnibus, & è converſo dicta Domina Floriſia petierat per ſe, ſeu procuratorem ſuum à dicto Domino Benedicto, ſeu ejus Procuratore pro eo aliam quartam partem dicti Caſtri Catelli, & reliquam medietatem dicti Caſalis Roccæ de Catellis, ſive Caſalis plani, cum hominibus, vaſſallis, juribus, & pertinentiis ſuis omnibus, & multæ diſſentiones hinc inde orta eſſent, &c. Prædicta fecit dicta Domina Floriſia cum conſen-

ſu,

ſu, voluntate, & authoritate Nicolai pupilli majoris ſeptennio filii ſui, & quondam Domini Rogerii DE PONTE mariti ſui, authorante in hoc dicto Nicolao, Domino Gualterio DE PONTE Patruo, & Balio ſuo, de cujus Bajulatu nobis legitimè conſtitit, necnon cum conſenſu, voluntate, & authoritate prædicti Domini Gualterii, hoc faciente ipſo Gualterio nomine, & pro parte ipſius pupilli, &c. *Hinc Rex aſſenſum præſtitit ſuum, qua litis tranſactionem ſua authoritate confirmaret.*

*Obtinuit Rogerius marem Nicolaum, & feminam Franciſcam. Nicolaus Antoniam Caracciolam duxit uxorem, e qua Maria orta eſt, Enrico Jeſualdo nupta; & Nicolaus, de quo Sectione ſequenti.*

SE-

# SECTIO IX.

## De Nicolao, & Gualterio ejus filio.

*Nicolaus itaque Baroniæ de Catellis, & Oppido Saſſinori dominatus brevi vitæ uſus curriculo Rogerium II. filium, & hæredem inſtituit, qui porrò ex Giliberta de Aquina uxore, Gualterium, & Portiam cum ſuſcepiſſet, adhuc vivente patre, defunctus, Gualterium, & Portiam ſuperſtites natos Avo Nicolao reliquit ex Maria Lanaria conjuge ſibi ortos. Portiam ſeptingentas auri uncias viro conſtituiſſe conſtat pro dotibus. Ingentem ſcilicet ſummam, ut tunc moris erat, & magnatibus tantum feminis tribui ſolitam. Gualterius autem frater ſeu culpa, ſeu aliorum delatio-*

*nibus*

*nibus à Regia Ladiſlai deturbatus benevolentia feudorum, oppidorumque dominiis ſpoliatus eſt, & perduellionis, & Majeſtatis crimine notatus, exul fuit, quæ mox Nicolaus filius Gualterii, poſtliminio recuperavit, ut inferius.*

# SECTIO X.

## De Nicolao II. Gualterii II. filio.

ITaque Regina Joanna II. *ſeu fratris Ladislai acta non probans, ſeu Nicolai, Gualterii filii, opera, & merita proſequuta, cum eidem Nicolao Lauram Mormilem tradidiſſet ſuam alumnam, & Regali gratia florentem; reſtituit ea, quæ Gualterio ablata erant, & perduellionis infame nomen prorſus delevit: Libet*

*bet itaque ejus Diplomatis verba inſerere (a).*

JOANNA I. DEI GRATIA Hungariæ, Hieruſalem, & Siciliæ Regina. Univerſis, & ſingulis Privilegii ſeriem inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris. Subjectorum noſtrorum compendiis, ex affectu benignæ charitatis accendimur, quo fit, ut ipſorum petitionibus gratiosè, & benignè præbeamus aſſenſum. Sanè conſiderantes, & perſæpè animo devolventes grata, & accepta ſervitia nobis Regibus prædeceſſoribus præſtita per Anteceſſores viri nobilis Nicolai DE PONTE filii quondam Galterii de PONTE, qui à noſtra fide deviavit, ob quod à Sereniſſimo Rege Ladislao fratre noſtro bonis omnibus fuit privatus, tam feudalibus, quam burgenſaticis, animo igitur revolventes ſervitia anteceſſorum prædicti

(a) *Proc. S. C. diſtinct. familiæ inter mag. Jo: Franc. de Ponte ex una, & Scipionem Fabritium, & Gregorium de Ponte, et nõnullos alios de Ponte ex altera, in banca de Felice fol. 448. & in alio inter magn. Jo: Franciſcum de Ponte cum Sedili Portæ novæ fol. 98. in banca de Strina pro Felice.*



Digitized by Google

dicti Nicolai ſemper memoratu digna, & ſignanter quondam Rogerii, & Nicolai ſenioris patris, & filii, ac quondam Galterii ſenioris; nec non Alderiſiii, Agotti, Jannotti, Franciſci, & aliorum ejus familiæ, qui maximoperè, & cunctis viribus Regibus noſtris prædeceſſoribus inſervierunt, nullis parcendo laboribus, & periculis, ut meritò ab illis fuerint optimè meriti ad dignitates quamplures erecti, & inter familiares Primates habiti. Conſiderantes inſuper perſonam ipſius Nicolai in aliquo non culpabilem, qui à prædicto Galterio patre degenerante in omnibus hucuſque ſe fidelem præbuit, & nulla ſua culpa præcedente reatus patris pœnam ſatis reportavit ob deſtitutionem Terrarum, & feudorum à prædicto ipſius patre poſſeſſorum, ac bonorum omnium ubique exiſtentium, ob

quod

Digitized by Google

quod in tantam devenit egeſtatem, ut à Civitate cum uxore, & tota familia coactus fuit diſcedere, & ſe conferre in Terram Majoris, à qua prædictus Nicolaus, ejuſque prædeceſſores originem ducunt, ibique, ut cæteri tam nobiles, quam populares ſecundum conſuetudinem locorum diverſis vacare mercimoniis, ut vivendi modum habere poſſit; attentis etiam ſervitiis, & precibus nobilis mulieris Lauræ Mormilis noſtræ chariſſimæ alumnæ, uxoris ipſius Nicolai, quam nos ad demonſtrandam erga ipſam noſtri animi gratitudinem, cum prædicto Nicolao duximus collocandam, antequam à fide deviaret prædictus Galterius. Propterea iis, & aliis dignis reſpectibus inclinati ipſum Nicolaum tenore præſentis privilegii reſtituimus ad omnes honores, dignitates, & prærogativas, quos, &

quas patris delictum abſtulit. Itaque tam ipſe, quam omnes ejus deſcendentes in infinitum gaudere, & potiri debeant, & poſſint honoribus omnibus, & dignitatibus, quibus gaviſi ſunt cæteri ejus anteceſſores, omneſque alii nobiles de eadem familia, nullo ex paterna rebellione præjudicio ipſis generato, nec non ad majoris gratiæ cumulum reſtituimus, eidem Nicolao omnia, & quæcumque bona ſiſtentia in prædicta Terra majoris, & Coſtæ Amalphiæ, quæ fuerunt prædicti ejus patris, & propter illius rebellionem, ad nos, & noſtram Regiam Curiam legitimè devoluta, nec non Juſpatronatus Sanctæ Chriſtinæ, Sancti Angeli, & omnia alia jura patronatus, ubicumque exiſtentia, dummodo aliis non reperiantur conceſſa, promittentes inſuper ſub verbo, & fide Regia, quod quando-

documque ad nos, & ad noſtram Curiam devolverint aliqua ex Terris, Caſtris, ſeu feudis, quæ poſſidebantur per præfatum Galterium, de quibus per prædictum Regem Ladislaum Fratrem noſtrum diverſæ fuerunt factæ conceſſiones, quæ eo libenti animo eidem Nicolao concedemus, habito reſpectu tam ad merita ejus Anteceſſorum, & ſuæ perſonæ, quam etiam prædictæ Lauræ noſtræ alumnæ concedentes, & ad ſupplicantis petitionis inſtantiam; declarantes, quod poſſint prædicti Nicolaus, omneſque ejus deſcendentes in prædicta Terra majoris habitare, moram trahere, & quaſcumque facere mercimonias per ſe ipſos, vel alios eorum nomine, ut cæteri tam prædictæ Terræ, quam aliarum Terrarum, & locorum Conſtæ Amalphiæ nullo præjudicio tam ipſi Nicolao, quam ipſius poſteri-

ſteritati generato, honoribus, dignitatibus, prærogativis, quibus ut cæteri nobiles gaviſi ſunt, & gaudere conſueverunt in noſtra Civitate Neapolis, tam ipſe Nicolaus, quam omnes anteceſſores. Itaque per habitationem prædictam in prædicta Terra majoris nullum ipſi oriatur præjudicium in futurum quandocumque venerint ad habitandum in prædicta noſtra Civitate Neapolis, in cujus rei fidem, & prædicti Nicolai, ſuorum deſcendentium cautelam præſens noſtrum Privilegium fieri juſſimus, magno noſtro ſigillo munitum. Datum Averſæ die VI. Septembris III. Inditionis, Anno Domini MCCCCXXV. Regnorum vero noſtrorum Anno XI.

*Deſumi autem licet ex tam longi Diplomatis tenore, tam ipſum Nicolaum, quam ejus majores, & poſteros Neapolitanæ connumeratos*

*fuiſſe*

Digitized by Google

*fuiſſe nobilitati, nec inter patricios tantum, ſed inter primates habitos, quamvis alibi per vices domicilium habuerint. Nec ideo, quod e Terra Majoris dicantur oriundi, idcirco Neapolitanæ eorum patriæ derogetur. Nam plerumque ex multa in peculiari loco aliquo, bonorum poſſeſſione, inde Neapolitani denominationem habuere. Unde Borrellus (a).* Quo factum eſt, ut Nobilium Neapolitanorum plerique in antiquis ſcripturis legantur cum cognominibus diverſorum oppidorum nomine, in quibus oppidis fundos quiſque ſuos, aut feuda poſſideret. Hinc Caracciolorum alii dicti ſunt ex Terra Hidrunti, alii ex Urbe Manfredonia, alii ex Urbe Sveſſa, ex Urbe Surrento alii. Capicii ex Lupiis, & Averſa, Brancacii ex Theano Sidicino. Latri, & Angloni, ex Trivento, ex Comitatu Moliſii, Fila-

(a) *In vind. Neap. Nobil. fol.* 134. & 135.

mari-

marini ex Urbe Capua, propter, quod in iis locis ſua poſſiderent prædia, vel certè domicilia haberent: Spinelli demum dicti ſunt de Summa oppido ad Veſuvii radices. *Hæc Borrellus, unde à Majori pendere, & dici illos DE PONTE aſſeritur, ubi & prædia plurima, & jurispatronatus in ejuſdem Diplomatis tenore poſſediſſe conſtat. Sic etiam à Rota Romana in deciſionibus à Paulo Rubeo ſelectis (a), Urſinos à Monte Rotundo appellatos meminimus, in quo oppido antiquitus dominabantur, quod notatur iis verbis*: Et altera Nicolai V. de anno 1448. qui dum concederet Caſtrum Cicignani Laurentio, & Jacobo de Urſinis illos nuncupat de Monterotundo, hæc enim nuncupatio in iſta, & aliis familiis ſolet fieri ad oſtendendum ditiones, & dominia ipſarum.

(a) *Par. 5. vol. 1.*

SE-

# SECTIO XI.

## De Romęo, Rugerio, & Iannotto I. Nicolai II. filiis.

*COmplures quidem, & numeroſi floruerunt Nicolai II. filii. quorum primus Romæus Dianoram Griſonem, ex nobili Sedilis Nidi familia uxorem duxit. De hoc Romæo illud tantum memoratum habemus, quod cum turbaretur litibus, commendatus ſit à Regina Ioanna II. (a) quæ ipſum contra creditores Gualterii avi tutabatur.*

(a) In reg. Reginæ Joan. II. 1420 fol. 236.

*Rugerium alterum Nicolai II. filium cælibem vitam duxiſſe putatur, cum de ejus poſteris nihil conſtet.*

*Iannottius I. ipſorum frater, Mariam de Afflicto uxorem duxit, ex qua Vincentius DE PONTE filius prognatus. Hic demum ex Spina*

*Lanaria quatuor ſibi comparavit liberos, ex majorum memoria nominatos, ſcilicet Nicolaum III. Andream IV. & Iannottum II. & Lauram, de quorum ſerie ſequenti capite dicendum.*

# SECTIO XII.

## De Nicolao III. Andrea IV. & Iannotto II. Vincentii filiis.

*Nicolaus ergo III. Angelæ Maſtrillæ vir fuit, quæ Ioannis Thomæ Maſtrilli Regii Conſiliarii extiterat filia (a).*

*Andreas Sancti Angeli Ravaſcani Dominus claruit, & ex nobiliſſima fæmina Beatrice de Afflicto numeroſam ſibi prolem comparavit, mares*

(a) Ex fide Cedular. in Proc. diſtinct. famil. fol. 451. & cum Sedili Porta nova fol. 115.

*mares ſcilicet octo Franciſcum, Antonium, Odoriſium, Joannem Lucam, Veſpaſianum, Michaelem, Joannem, & Joannem Baptiſtam, de quibus memorabimur Sect. XIII.*

*Jannottus II. Mariam Mormile duxit, ex quibus Matthæus ortus eſt, & Feliciana, & Maria, quos Sect. XIV. memorabimus.*

*Sed ne ſilentio Petrum III. Romæi filium prætereamus, ille quidem Andronicam Caſtriotam ex clariſſimo ſtipite Albaniæ Regum ortam uxorem ſibi comparavit, ex quorum conjugio Coſmus I. ortus eſt, qui Mariam Lanariam uxorem duxit, unde Robertus I. prognatus, de quo Sect. XV.*

*Nec prætereundum ex Nicolao III. & Angela Maſtrillo, de quibus ſupra diximus Joannem Antonium, & Joannem Felicem ortos eſſe. Joannes Antonius verò, & Conſtantia*

*Lanaria tres mares Joannem Franciſcum, Joannem Hieronymum, & Julium, ac itidem fæminas duas, Paulam, & Martiam ſibi comparavere, de quibus Sect. XVI.*

*Joannes Felix Vincentiam Galeotam uxorem habuit, quæ itidem multa prole fecunda, Marcum Antonium, Joannem Vincentium, & Nicolaum, Portiam, Conſtantiam, & Vincentiam, de quibus verba facienda ſunt Sect. XVII.*

# SECTIO XIII.

## De Franciſco Antonio, Odoriſio, Ioanne Luca, Veſpaſiano, Michaele, Ioanne, & Io: Baptiſta, Andreæ IV. filiis.

*ANdreas IV. Vincentii filius, & Beatrix de Afflicto uxor nume-*

*meroſa prole ornati, uti dictum eſt, Victoriam fæminam Fabio Macedonio uxorem tradidere, ſed ex tot maribus Joannem Baptiſtam Uxorium ſtatum elegiſſe conſtat. Hic namque legitur Victoriam Macedoniam duxiſſe nobilem Sedilis Portus puellam, ſed nec hi conjuges multa fertilitate potiti ſunt, una filia relicta, cui nomen Beatrix DE PONTE. Hanc ergo ſibi deſumpſit Carolus Brancacius Caſtilionis Comes, qui demum Avenione in Galliis nulla prole ſuſcepta defunctus, ipſam Beatricem DE PONTE uxorem hæredem ſcripſit, ea lege indicta, ut aliquem ex Brancacia familia cum moreretur, Beatrix inſtituere deberet. Illa itaque viri voluntatem ſequuta extremis Tabulis Franciſcum Brancacium Alphonſi filium ex aſſe hæredem dixit, ea conditione addita, ut Beatricem Ru-*

*beam,*

*beam, ex fratre uterinon eptem duceret. Hac eadem Beatrix Clericos Reg. Divæ Mariæ Majoris multo auro ditavit, ut pro ea ſacra quotidiana perpetua celebrarentur. Sed jam de Jannotti II. poſteris, qui familiam ulterius produxerunt, dicendum.*

# SECTIO XIV.

## De Iannotto II. Vincentii filio, & ejus poſteris.

J*Annottus II. & Martia Mormilis conjuges, Matthæum, Felicianam, & Mariam, uti dictum eſt, Orbi natos dedere. Matthæus Dianoræ Brancaciæ junctus, Marcellum, Vincentium, & Portiam filios genuit. Hic armorum exercitio deditus, militares titulos aſſecutus eſt, & in Lucania, & in Picenti-*

nis

Digitized by Google

*nis militum Dux imperavit. Maria ſoror primò Dominicum de Ponte virum habuit, ſed eodem viduata, denuò Aſcanio de Rugerio nobili viro nupſit. Feliciana autem altera ſoror Joanni Franciſco de Ponte Marchioni Morconis, uti inferius dicetur, tradita eſt. Porrò ex Matthæo natus Vincentius Eques Hieroſolymitanus, & Commendatarius Modicæ. Dianora Matthæi Capuani uxor, & Portia Carolo Capycio nupta. Item Marcellus, qui Felicia de Ponte ducta, Matthæum, Michaelem, Joſephum, Siſtum Abbatem Montis Olivetani, Jo: Baptiſtam Equitem Hieroſolymitanum genuit, ex illorum nemine nepotes habuit, linea extincta. Jo: Baptiſta armis clarus, primo Centurio, dein Equitum præfectus in Belgio militaris Conſiliarius in obſidione Roſentand, & Trinclant; & Caſalis Montis Ferrati fortem operam dedit: Valentiæ obſeſſæ opem tulit, &*

*in*

*in Liguriæ ora protegenda claruit; unde à Clara Eugenia Auſtriaca commendatitias laudes ſæpè accepit.*

# SECTIO XV.

## De Coſmo, ejuſque filiis.

C*Oſmus Petri III.* & *Andronicæ Caſtriotæ filius Robertum ex Marietta Lanaria uxore protulit. Hic Robertus Valeriam Paganam Sedilis Portus nobilem Puellam duxit, è qua tres filios Cæſarem I.* Joannem *Andream*, & Joannem *Dominicum filios ſibi comparavit, quos omnes uxorem duxiſſe manifeſtum eſt. Cæſar namque Aloyſiam Confaloniam ſibi junxit, ex quo conjugio nati ſunt* Jo: *Baptiſta, Robertus, Onorius, Claudius*, Joſeph, *Maria*, & *Angela, de quibus Sect. XIX.*

Joannes *Andreas Lucretiam DE PONTE duxit, conſanguinitate etiam ſibi proximam, qui etiam*

*tres*

*tres mares Franciſcum, Oratium, & Joannem Antonium orbi protulere, nec non fœminas novem Angelam, Hieronymam, Valeriam, Felicem, Zenobiam, Lauram, Portiam, Catherinam, & Camillam, de quorum poſteritate inferius habebitur.*

*Joannes Dominicus, relicta Maria de Ponte conjuge, & ſine poſteris citò defunctus eſt, quapropter de Joannis Antonii illuſtribus liberis, Joannis Andreæ nepotibus, ſerioſius memoria facienda eſt.*

# SECTIO XVI.

## De Io: Antonio Nicolai III. filio, & Io: Franciſco, Hieronymo, & Iulio filiis.

*Æ Quum modo erit, ut de Joanne Antonio fratre Joannis*

*Felicis, Nicolai III. filio, ejuſque ſtirpe pauca verba faciamus. Huic ergo ex Conſtantia Lanaria conjuge filii prognati* Joannes *Franciſcus,* Joannes *Hieronymus,* Julius, *Paula, & Martia; hæ ambo ſacris miniſteriis dicatæ, altera in Monaſterio dicto de Hieruſalem, Paula in Monaſterio ſub titulo Crucis Lucenſis,* Joannes *Hieronymus Colloniſii Marchio, & Martiæ Januariæ vir magnifica pietate Templum, & Cœnobium Divo Franciſco de Paula dicatum extra Portam Capuanam, ſuo ære ædificari curavit, de quo extat marmoreum monumentum grati animi teſtimonium à Cœnobitis ſupra januæ veſtibulum erectum in hæc verba:*

JO:

IO: HIERONYMO DE PONTE
EX MATHELICÆ DOMINIS GEN. ROM.
PATR. NEAP. MARCH. COLLONISII
QVI
GENTILES SVOS SOC. IESV BENEFICENTISSIMOS IMITATVS.
TEMPLVM HOC COENOBIVMQ; EXCITAVIT
MINIMORVM ORDO MEMORIÆ CAVSA
P. P.
ANNO DOMINI CIϽIϽXX.

*Unus ex Rectoribus, & Præfectis pii operis, quod Montem miſericordiarum vocant, delectus; uti pietate ſumma in eo regendo ſe habuit, ita ejuſdem dilectione ductus ſuum ex aſſe hæredem ipſum inſtituit. Tres porrò habuit filios Vincentium, Alexandrum, & Conſtantiam. Horum Conſtantia Deo ſe in Parthenone Divi Andreæ Neapoli dedicavit, Alexandro inter Clericos Regulares adſcripto, mutato nomine, Placido dicto.*

Julius Jo: *Hieronymi germanus: etiam Clericorum Regularium numero adſcitus, morum innocentia,*



Digitized by Google

*animi charitate, qua in proximum ferebatur ardeſcens, nullo metu vitæ præpeditus, laborantibus morbo peſtis in Civitate Januenſi anno* 1529. *adminiſtrans, eadem tactus obiit.*

*Quæ tamen apta de Joanne Franciſco, Joannis Antonii natu maximo, pro dignitate verba reponam, planè non habeo. Hic titulo Marchionis Morconis decorus, Philippi II. Regis in ſupremo Italiæ Senatu Conſiliarium ſolertem ſe geſſit. Hinc in Regno Neapolitano Conſiliarius à latere, & Regiam Cancellariam Regens Decanus, & annonæ Præfectus tot bonoribus terga vertens, & muneribus, inter Clericos Regulares ſe recepit anno* 1613. *ætatem agens annorum* 72. *Ne autem ex cognominibus ejuſdem familiæ equivocæ vocis aliquod in poſterum præjudicium inferretur, huic*

*ille*

*ille, ſententia S.C. prolatis documentis, & ſcripturis obviam ivit. Cujus ſententiæ hic tenor* (*a*).

Viſa ſupplicatione olim Majeſtati noſtræ in noſtro S. C. oblata pro parte Magnifici U.J.D. Joannis Franciſci de Ponte ſub die 12. Octobris 1576. contra Magnificos Scipionem, Fabritium, & Horatium de Ponte, & alios, cujus tenor talis eſt, v3. Sacræ Regiæ Majeſtati, &c. viſis videndis, & conſideratis conſiderandis per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, decernimus, & declaramus, præfatum Magnificum U.J.D. Joannem Franciſcum de Ponte de Neapoli eſſe de familia nobili aliorum Nobilium de dicta familia, & deſcendere, & originem trahere à quond. Milite Gualterio de Ponte, Seneſcalco hoſpitii Regis tempore Sereniſſimi Regis Caroli II. ac etiam à quondam Nicolao de Ponte dicti Gual-

(a) *Proc. dixtinct. famil. de Ponte fol. 468. Zazzer fol. 230.*

Gualterii nepote., & Rugerio de Ponte Juſtitiario Provinciæ tempore ejuſdem Sereniſſimi Caroli II. & pariter declaramus, prædictam familiam de Ponte, à qua trahit originem dictus Magnif. Joannes Franciſcus, fuiſſe, & eſſe diſtinctam, & ſeparatam ab alia familia de Ponte, quæ eſt in Civitate Majoris, & in Civitate Neapolitana, quæ non gaudet honoribus, quibus gaviſa eſt, & gaudet familia dicti Magnifici Joannis Franciſci, à qua familia trahunt originem dicti Magnifici Scipio, & Fabritius de Ponte; & nobilis Joannes, Benedictus, Matthæus, & alii in proceſſu citati Ioannes Felix Scalaleo. Hanc eandem, &c. lecta, lata, & publicata fuit die XX. Decembris 1576. Neap. in S.C.

*Hic eſt ille, qui ad publicos honores Sedilis Portæ novæ redintegratus eſt publicis votis Nobilium*

anno

*anno MDCIV. ſexto Kalendas Junii, unde integrum ejus rei diploma inſerere fas erit (a).*

(a) *Proc.cum Sedili Portæ novæ fol.*30.

Die quartodecimo menſis Maji, ſecundæ Inditionis MDCIV. Neapoli ad preces nobis factas pro parte infraſcriptorum Nobilium Plateæ Sedilis Portænovæ hujus Civitatis Neapolis perſonaliter nos contulimus ad Ven. Eſtauritam, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Coſmodin, alias de Portanova Sedilis prædicti, & cum ibidem eſſemus, & propriè intus dictæ Eccleſiæ, inventique per nos inibi, ac in noſtri præſentia perſonaliter conſtituti Fulvius de Conſtantio Marchio Corleti, Cæſar Miroballo Marchio Braciliani, D. Franciſcus de Conſtantio, Lelius de Conſtantio, Ioannes Simon Moccia, Franciſcus Mormilis, Iulius Coppula, Andreas Gattola, Franciſcus de Liguoro, Horatius de Liguoro, Ioannes

nes Baptiſta Coppula, Veſpaſianus de Liguoro, Alexander de Conſtantio, Cæſar de Conſtantio, Alphonſus de Liguoro, Gaſpar de Liguoro, Aſtorgius Agneſe, Paulus Mormile, Iacobus Mormile, Marcus Antonius Mormile, Mutius Mormile, Carolus Mormile, Trojanus Miroballus, D.Hieronymus de Conſtantio, D. Octavius de Conſtantio, Flaminius de Conſtantio, Ioannes Baptiſta de Liguoro, Fulvius de Liguoro, Iulius Cæſar de Liguoro, Ferdinandus de Liguoro, Bartholomæus Coppula, D. Aloyſius Gattola, D.Trojanus Gattola, D.Franciſcus Gattola, Carolus de Liguoro, Iulius Cæſar de Liguoro, D. Valerius Mormile, Matthæus Capuanus, Laurentius Capuanus, Annibal Capuanus, Franciſcus Antonius de Liguoro, Franciſcus Capuanus, Vincentius Capuanus, Antonius de Liguoro,

guoro, Franciſcus Coppula, & Marcellus de Liguoro Nobiles Plateæ Sedilis Portænovæ totam dictam Plateam facientes, & repræſentantes, ac in unum congregati, & coadunati per Salvatorem Amorelli, & Carolum de Marino Porterios ejuſdem Plateæ, ut moris eſt ad hunc actum conficiendum in dicto loco ſolito, & conſueto, ubi dicta Platea pro negotiis, & parlamentis publicis peragendis pro ſervitio, ac potentia Dei, & ſuæ Sereniſſimæ, & Catholicæ Majeſtatis Domini noſtri Regis Philippi hujus fideliſſimæ Civitatis, ac ipſius Sedilis congregari, & coadunari ſolet intervenientes ad infraſcripta omnia nomine, & pro parte dictæ Plateæ Sedilis Portænovæ, ac omnium Nobilium ipſius, & pro dicta Platea, & ſuum quibuſcumque in ea in proprium ſponte aſſeruerunt co-

ram nobis hodie præſenti die , & inſtanti ipſam Plateam convocatam, & coadunatam in loco prædicto per dictos Porterios, ut moris eſt, feciſſe infraſcriptam concluſionem tenore ſequenti videlicet , &c. Et volentes dicti prænominati Nobiles dictæ Plateæ Sedilis prædicti convocati, & congregati, ut ſupradictam præinſertam Concluſionem exequi ſponte prædicto die coram nobis , omnique meliori , &c. ceſſerunt , & renunciaverunt liti , & cauſæ intentatæ per ſubſcriptum Ioannem Franciſcum de Ponte Marchionem Morconi , ac Regentem Regiam Generalem Cancellariam hujus Regni, & omnibus ſuis prætentionibus propoſitis , ac de omnium ipſorum Nobilium voluntate unanimiter, & pari voto, & nemine ipſorum penitus diſſentiente; aut diſcrepante admiſerunt , & admit-

mit-

Digitized by Google

mittunt dictum Marchionem Morconi, & ejus filios legitimos, & naturales, & eorum legitimos deſcendentes legitimè conceptos tantum, & non aliter, nec alio modo ad prædictam Plateam, ac omnes honores, dignitates, prærogativas, & præeminentias; ac actiones ejuſdem Plateæ Sedilis prædicti, &c.

*Nec tantum præclaro poſtliminio familiæ ſuæ antiquos honores reſtituit Joannes Franciſcus, quin etiam novis dignitatibus, & titulis recentibus eandem auxit. Oppidum ſcilicet Morconis, & Marchionis obtinuit titulum. Per ſummas virtutes ad Regentis munus evectus eſt. Duaſque habuit uxores, primam Felicianam de Ponte, qua amiſſa, Zenobiæ Cicinellæ nupſit. Nec fuit ille filiorum expers, quippe cui nati ſunt Horatius, Petrus, Laurentius, Cæcilia, Catherina.*

*Poſtremæ hæ feminæ pompis abdicatis, ſacris ſe addixere: Cæcilia in Sanctiſſimæ Trinitatis Parthenone, Catherina in illo D. Andreæ dicato. Cæterum Petrus primò Hieroſolymitanæ militiæ Eques, Clericorum Regularium numero poſtea ſe adſcripſit. Hic vitæ probitate commendante Epiſcopus Trojanus electus eſt, & apud Ferdinandum II. Imperatorem tunc Auſtriæ Archiducem Nuntius, & legatus à latere pro prudentiæ ſuæ opinione miſſus eſt. Laurentius Religioſum iter ingreſſus Clericorum Regularium Minorum ordinem in Hiſpaniam deduxit, & fundavit. Hic doctrina præcipuè clarus nonnulla optima, & pia pro ſacrarum Scripturarum expoſitione typis tradidit. Præcipua ſunt (ultra ea, quæ manuſcripta circumferuntur) commentaria ad Sapientiæ librum:*

expo-

Digitized by Google

expoſitiones in Matthæi Evangelium, & pleraque de Matris Dei, nunquam ſatis laudatæ, meritis opuſcula. Cæterum quamvis magnates, & antiſtites plerique ob prudentiæ famam ipſum ſibi delegerint ad virtutis ſemitam ineundam ducem, ejuſque regi conſilio expetierint, nihil tamen ea aura inflatus, nec Leonis XI. Medicæi arctè ſibi conjuncti ad Summum Pontificatum electione motus, omnes ſprevit honores. Eo itaque vixit innocuo vitæ tenore, morum cenſura, & abſtinentia (a), ut cœleſtem probationem, & favorem ſæpè ſit meritus; vaticinii dono inſignitus, & ad extremum ſuæ vineæ culturæ vacans Hiſpaniæ diem obiit.

(a) Piſellus in hiſtor ejus Relig. fol. 289. & ſeq.

Horatius demum Joannis Franciſci filius nobili militiæ equeſtri Divi Jacobi connumeratus dignitatem Tribuni militum adeptus eſt,

Re-

*Regii à latere Conſiliarii adſcriptus, titulo Marchionis Padulæ decoratus eſt. Miſſus etiam Orator fuit ab ordinibus Neapolitanis ad Catholicam Majeſtatem Matritum, ubi pro Patria egregiè ſe geſſit. Sed dum diutiùs in alieno cælo moratur, & expediendis, & ad ſtatum perducendis gravioribus negotiis ardentius vacat ſuæ prodigus incolumitatis valetudine tentatus ibidem occubuit. Catherinam Mediceam Alexandri Octavianenſis Domini filiam, & Leonis XI. Pontificis neptem, junctam matrimonio habuit. Ex ea Agnetem, Felicem, & Mariam fæminas omnes ſuſcepit. Horum Maria, & Felix Deo ſe addixere in Parthenone SS. Trinitati dicato. Agnes tantùm Padulæ Marchioniſſa, ut familiæ ditionem conſervaret Andreæ de Ponte Franciſci Antonii filio nupſit, nec tamen ex iis ſoboles extitit.*

SE-

# SECTIO XVII.

## De Ioanne Felice Nicolai III. filio.

EXpedit nunc, ut de Joanne Felice Joannis Antonii fratre, ejuſque ſtirpe verba faciamus. Hic itaque ex Vincentia Galeota Marcum Antonium, Joannem Vincentium, Nicolaum, Portiam, Conſtantiam, & Lucretiam ſuſcepit. Portia Joſephum de Ponte Cæſaris I. filium in virum ſortita eſt. Lucretia Joanni Andreæ de Ponte Roberti I. filio nuptui tradita. Conſtantia Franciſcum Galeotam Sedilis Capuani Nobilem, virum habuit. Joannes Vincentius verò militiam Divi Joannis ſequutus, ideoque cælebs vixit. Marcus Antonius

tan-

Digitized by Google

tandem illuſtri doctrina, & integritate conſpicuus, Zenobiam de Ponte duxit Joannis Andreæ filiam. Hic titulo Marchionis Sancti Angeli decoratus anno 1594. Sanctæ Claræ Conſiliarius à Catholico Rege renunciatus eſt. Anno verò 1596. pecuniariæ Curiæ Præfectus diligentiſſimè ſe geſſit, poſtremo anno 1609. in Hiſpaniam migravit Supremum Italiæ Conſilium recturus, ubi cum ſummam prudentiam præ ſe tuliſſet in Regnum Neapolitanum iterum remiſſus eſt anno 1613. Sacri Reg. Conſilii Præſes, & ViceProthonotarius, & titulum Conſiliarii à latere, & Reg. Cancellariæ Regentis adeptus. Anno demum 1620. à Nobilibus Sedilis Portænovæ (à quibus accedente etiam Sac. Conſilii ſententia in omnes honores ejuſdem redintegratus fuerat tam ipſe, quam cæteri deſcendentes) Deputatus

*Proc. cum Sedil. Porta nova fol. 395.*

eſt

*eſt curæ conſtructionis Sacelli Divo Januario, cæteriſque Urbis Tutelaribus dicati, quod in majori Domo Civitatis Neapolitanæ publica pecunia Civium voto excitandum erat. Tanta ejus integritas, mores, merita apud Concives Neapolitanos valuere, ut iidem, & omnes Urbis ordines publico teſtimonio ſignatas literas ad Regem Philippum III. grati animi locupletes, ejuſq; opera commendantes miſerint. Hoc Præſide lex nova lata per S.C. (a) ſive Senatus conſultum prodiit (quod per rarò accidit) quo ſancitum eſt, ut ob æratorum contumacium excuſationes à judicibus non reciperentur, niſi ipſi coram judicibus ſe ſiſtant, carceribus, ſi ita æquum viſum fuerit, mancipandi. Quod ſi peculiarium hominum teſtimonia in medium ferre velimus, id fuit ſuæ doctrinæ acumen, ut eundem doctiſ-*

(a) Roman. de Præſtant. S.C. fol. 66.

N ſimum,

*ſimum, & oculatiſſimum Sacri Conſilii Præſidem dixerit Regens Rovitus deciſ. 24. & eruditus Scriptor Franciſcus de Petris hoc illi inſcripſerit.*

Juſtitiæ ad Sanctum prærupto calle Tribunal
Omnibus en ſtrato PONTE paratur iter.

*Et P. Alois Societatis Jeſu hoc eidem Epigramma adpoſuit:*

Deſere Tyrrhenum, Siren, Cratera, juvabit
Amne hoc te liquidas blandius ire vias.
Pervigil hic arcis geminæ cuſtodia nunquam
Threiciæ Claſſis barbara damna timet.
Nullæ hic inſidiæ ſcopulorum, nulla Charybdis
Vortice contortus ſorbet hiulca rates.
Scillæi fremitus abſunt, hic perpete nullus
Flamine pacatus aſperat Eurus aquas.
Quod mirere magis, non unquam turbidus auro,
Ceu Ganges, undas decolor amnis aget.

*Fato tandem ceſſit tertio Idus Decembris MDCXXIII. Tumuloque ejuſdem inſculptum legimus.*

D. O. M.
MARCO ANTONIO PONTE MARCHIONI
S. ANGELI EQVITI NEAP. SVB PHIL. II. ET III.
HISP. REG. AD SVPREM. ITAL. SEN. ASCITO
IN HOC REGNO REG. CANCELL. REGENTI

SA-

Digitized by Google

SACRI CONSILII PRÆSIDI
HIS, ALIISQVE MVNERIBVS PER TRIGINTA
SEX ANNOS INTEGERRIME FVNCTO
VITAQVE DEFVNCTO ÆQVIORI, QVAM
DITIORI
P. L. M. S. G. A. R. P.
OBIIT ANNO SAL. MDCXXIII.

*Hic plures poſt ſe natos reliquit Vincentium, nempe, Januarium, & Franciſcum Antonium; Vincentius Ordinis Calatravæ militiam ſequutus animi prudentia, egregio in Patriam amore excelluit. Eundem nobiles Sedilis Portænovæ Sindicum, ut dicitur, in ingreſſu Cardinalis Zappatæ Proregis deputarunt, quo in munere, & decore, & gravitate, & oſtentatione ſui maximè enituit, ut ſcribitur à Capacio in ſuis Dialogis (a). Franciſcus Antonius cælebs militiam Divi Joannis ſequutus eſt. Januarius Alcantaræ Ordini adſcriptus fuit, nec his tribus aliquis ſuperſtes natus.*

(a) Fol.876.

# SECTIO XVIII.

## De Petro III. Romæi filio, & ejus poſteris.

*Sed quoniam longo tranſcurſu ad recentia tempora venimus, ut cujuſque lineæ finem ſpectaremus; æquum eſt, ut Genealogicam Hiſtoriam reſumamus denuò, & ad Petrum III. Romæi filium regrediamur. Hic ex Andronica Caſtriota Coſmum habuit, qui à Maria Lanaria è Sacchi Comitibus oriunda, Robertum, Joannem Andream, & Joannem Dominicum filios ſuſcepit. Joannes Dominicus ex Maria de Ponte conjuge nullos liberos habuit. Joannes Andreas à Lucretia de Ponte innumeris filiis ditatus eſt, quorum tres mares,*

*Fran-*

Digitized by Google

*Franciſcus Antonius, Horatius, & Joannes Antonius: novem verò fœminæ ſcilicet., Angela, Hieronyma, Valeria, Felix, Zenobia, Laura, Portia, Camilla, & Catherina. Ex hac numeroſa fæminarum ſobole Catherina Veſpaſiano de Valle Sedilis Capuani Nobili, Portia Julio Maſtrillo, Laura Enrico Unghero, Zenobia Marco Antonio de Ponte Marchioni Sancti Angeli, Felix Marcello de Ponte nuptui traditæ ſunt. Valeria, Hieronyma, Camilla, & Angela ſacrum velamen in Urbe Majoris, & in Parthenone pietatis induere. Horatius eques militiæ Divi Joannis militavit.*

*Jo: Antonius nobis propoſitus, qui eſſet aliquando Chriſtiano Orbi eximium divinæ pietatis exemplar; oſtenderetque vim, potentiamque ſummi Opificis, quæ ex leone mel, ex luto aurum eruere valeat. Ille*

ita-

*itaque cum Neapoli inter delicias, nobileſque contubernales adoleviſſet eam induerat ſpiritus contumaciam, ut nobilitatem, & opes, quibus pollebat, & quibus primates in publicam, privatamque quietem, & utilitatem uti debent, & ad Reipublicæ conſervationem, & juſtæ fortitudinis oſtentationem; ille in contraria opera verteret. Armis deditus, manu promptus, ſuæ, & alienæ vindictæ pronus, gladiatoriam turbam alens, odium fermè in ſe traxit civium. Itaque Catilinaria fere impotentia ſe gerens, & facinoribus gravis magiſtratuum poteſtati inviſum ſe reddiderat, & Aſtreæ ſe gladio puniendum objecerat. Enimverò ejus iram metuens in Aſylum ſe condiderat* Jo: *Antonius, in quo eidem & corporis, & animi ſecuritatem inveniſſe datum eſt. Latitabat ille in Æde D. M.*

*An-*

*Annunciatæ ſacra, ubi cum Carmelitam Diſcalceatum fervidè concionantem, & ſcelera deteſtantem piiſſimè, ſæpiùs audiſſet, tactus eſt veritatis acumine, & animo ſecum revolvens, quæ impiè geſſerat, eò ductus eſt Jo: Antonius ſuorum actorum deteſtatione, ut non modo eorumdem puderet: imo vixiſſe etiam tamdiu tæderet. Provolutus ergo ad concionantis genua, & ante ejus pedes armorum, quibus cingebatur onera abjiciens, ut ſibi quæ vellet ad ſcelerum luitionem opera facienda injungeret, rogavit, & ut ſe expiaret ſacra facinorum confeſſione, & abolitione precatus eſt. Multa ad conjiciendam plenam pœnitentis voluntatem expertus eſt in Jo: Antonio pius ille vir. Publicæ expoſuit objurgationi, infimis ignominiis, quas ille non abnuit pati. Nec his contentus cum ſe inter Carmelitas Diſcalcea-*

*ceatos admitti petiiſſet, Romam ab eo remiſſus eſt ad Generalem Ordinis Adminiſtratorem. Ibi varia expertus eſt prudentiſſimi viri tentamenta, ut ſuæ mentis ad recta, & pia converſionem eliceret. Nam cum ille profuſis lacrymis, & inſtanter rogabundus inter viliſſimos ſocios connumerari petiiſſet: ille è contra tentabundus firmitatem propoſiti in hæc ferè prorupit:* Non ad ſimiles tui, animique ſimulantes ſceleſtus ipſe cum ſceleſto promiſso veniſti. Corrumpere noſtrorum, qui Deo addicti arctiſſimè ſunt, mores fortaſſe tentas, & fœdare probitatem, tua improbitate paras? Malè miſcentur candidis coloribus atrati, nec benè conveniunt cum demiſſis hominibus, qui elatè, & ſuperbè vixerunt. Aliam ergo ſume tibi viam, nec patiar honeſtis improbum adjungi ſocium. *Hæc ille, ut*

*pa-*

*patientis animi in* Jo: *Antonio ſumeret, experimentum. Sed nec repulſa ipſe, nec ignominiis in ſe jactis motus, in eadem perſeveravit petitione, & tandem admiſſus; & cuculla indutus, ea inſtituit vitæ innocentia vivere, ut omnibus exemplo, & admirationi fuerit, totque piè geſſerit, & pœnitenter, quot prius impiè & ſceleſtè præſtiterat. Precibus aſſiduis orans, flagellis membra coercens in eum pietatis ardorem provectus eſt, ut cum ſanguinem, vitamque pro Chriſto Deo fundere ſtatuiſſet, & totum ſe, & omnia eidem devoviſſet, ad Barbaros demandari, ubi cum ſummo ſalutis periculo leges evangelicæ vulgari ſolent, procurarit. Alepum primò, inde in Perſas migravit ſemina chriſtianæ pietatis ſpargens. Inde revocatus à ſui ordinis propoſitis, & invitus juſſis parens Italiam repe-*

*tiit, & Januam ſibi ad commorandum deſtinatam. Ibi cum delatas dignitates inter ſuos ſæpè repudiaſſet, & Eremo voluntario ſe condidiſſet, reliquum vitæ piè, & admiſſorum in juventute pœnitens uſque ad extremum agitavit. Mortuus eſt Januæ alius Magdalenæ improbæ, & reſipiſcentis, & ſanctæ Icon.*

*Franciſcus Antonius Mariam de Acugno conjugem ſibi paravit, Hiſpanici generis nobiliſſimam feminam, eorumque filii fuere Joſeph, & Andreas. Hi ambo cum fuerint uxorii, Andreas tamen, qui Agneſiam de Ponte Padulæ, & Morconis Marchioniſſam duxerat, nullos ſuſcepit liberos.*

*Joſeph frater ex Camilla Bonito, Andream, & Franciſcum ſibi natos habuit.*

SE-

Digitized by Google

# SECTIO XIX.

## De Cæſare, ejuſque filiis, Io: Baptiſta, Roberto, Claudio, Honorio, & Ioſepho.

*UT modo Cæſaris, Roberti I. & Valeriæ Paganę filii ſtirpem deſignemus: Hic ex Ludovica Confalonia ſecunda uxore quinque liberos ſuſcepit Joannem Baptiſtam, Robertum, Claudium, Honorium, & Joſephum, duaſque item fœminas, Angelam, & Portiam.*

*Hæ abdicatis ſæculi pompis in Parthenone pietatis Urbis Majoris ſe Deo dicaverunt. Mares vero ut Neapolitanam juventutem perpetuò ſcientiis, rectiſque moribus, & pie-*

*tate imbuendam inſtituerent proprio ære à fundamentis ædificari curaverunt uſque ad culmen atrium Aulam, gymnaſia, & Oratoria Collegii Neapolitani Societatis Jeſu, cujus beneficii memoria marmoreis tabulis expreſſa publicè legitur eo loco.*

CÆSARIS DE PONTE FILII GYMNASIVM
A FVNDAMENTIS AD CVLMEN BONIS
PATERNIS EXTRVXERVNT A. M. D. CV.
SOCIETAS IESV GRATI ANIMI
MONVMENTVM POSVIT.

*Inde verò ab ejuſdem Ordinis Patribus Sacellum Flumarenſium Ducibus extruendum in Eccleſia conceſſum eſt, itemque Sepulchrum in eo condendum, in quo omnes fere eorum majores piè jacent; & tradita poteſtas, ut quas in iiſdem vellent inſcriptiones, Epitaphia, memorias reponere licitum eſſet. Voluere etiam Patres, ut feuda omnia, quorum Collegium Neapolitanum,*

ac

Digitized by Google

*ac etiam Romanum dominia acquiſiverat ſibi, Ducum Flumarenſium nomine deſcriberentur, quod ad præſens uſque tempus ſervatur, atque iſti diplomata Juſtitiæ Rectoribus feudorum dimittunt, poteſtatemque tradunt, & primis fructibus tamquam Domini decorantur.*

*Cæſaris de Ponte filii non eamdem vitæ rationem inire ſunt aggreſſi; Robertus namque Generis nobilitatem in ſervilem vitam pro Chriſto libenter commutans, Societati Jeſu ſe adſcripſit, & nomine commutato, Bernardus appellatus eſt. In ea Novitiorum Cenſor creatus, iſto munere diu functus eſt cum laude; & cum perfectiſſimæ vitæ tenorem præſtitiſſet, ut ejus integritatem, & ſanctimoniam excelſus Dominus è Cœlis hominibus indicaret, è cæſo digito ſui cadaveris adhuc incorrupti ſanguinem li-*

*quidum fluere permiſit, liquidumque hucuſque permanere. De hoc memorat Jo: Nadaſt. dierum memorabilium, 113.*

Illius ad aram operantis facies, orantis verò alias corpus totum cœleſti ſplendore illuxit, etiam à terra ſublime. Procaci fœminæ mortem prædicit, & illa ſequenti die mortua in lecto reperta eſt. Occulta vi ad S. Andreæ ſepulchrum delatum eſſe ajunt, æditui id ſtupente, ſed ſilentii fide obſtricto. Lauretum pedes ibat, & valde feſſus in antro quieſcebat, cum ecce Beata Virgo illi adfuit, & ad abſtergendum ſudorem biſſum porrexit. Mortui humeri reperti flagris undique exarati.

*Honorius etiam, & Claudius fratres germani exemplum ſequuti in eamdem Societatem Jeſu nomina dedere. Sed Claudius commutato nomine, & in Canonicos Regulares*

La-

*Lateranenſes receptus, inter eos piè obiit. Ex illis porrò Joſeph familiam reparaturus ex Portia de Ponte uxore filios ſuſcepit, Cæſarem, Dominicum, Januarium, Matthæum, Bernardum, Franciſcum, Victoriam, & Brigittam. Ex tot liberis Dominicus tantum uxorium ſtatum ſecutus eſt; & ex Joanna Maranta duos filios ſuſcepit Hyacinthum cælibem, & Joannam, quæ item cælebs in Monaſterio Urbis Majoris vixit; reliqui verò illi piam, & religioſam vitam vivere eligentes, Bernardus Ordini Carmelitani Diſcalceatorum adſcriptus. Matthæus Canonicus Regularis Lateranenſis; Brigitta, & Victoria in eodem Parthenone Urbis Majoris in cælibatu vixere.*

SE-

# SECTIO XX.

## De Io: Baptiſta Cæſaris filio, & poſteris.

*QUoniam ergo collaterales lineæ à Nicolao II. de Ponte uſq; adbuc ductæ (ut ſunt mortalia caduca) plerumque ſuum finem habuere, remanet, ut verba faciamus, de linea ſcilicet illa, quæ à Cæſare, & Aloyſia Conſalone conjugibus ducta per Joannem Baptiſtam filium ſpem adbuc reddit duraturæ familiæ. Joannes Baptiſta itaque primus ex tot Cæſaris filiis, adeo ſe magnificè geſſit in publicis ædificiis, ad utilitatem, & ſplendorem Urbis, proprio ære excitandis, ut inter reliqua mirandum illud opus Academiæ Neapolita-*

*litanæ; quod à Patribus Societatis Jeſu exercetur, magna impenſa conſtruxerit, & donationes pleraſque ad alias conſtruendas Collegiales domos, ejuſdem Ordinis. Patribus largitus eſt, unde Nola, Salernum, Lupiæ, Urbes decoratæ ſunt; in quibus pluſquam quinquaginta millia aureorum ſunt erogata.*

*Hinc etiam factum eſt, ut nuperrimè ex ignorantia fortaſſe erogatarum ſummarum ab ejuſdem Societatis Patribus lis intentata ſit (a), Flumarenſium Duci promiſſoris heredi: quaſi eæ uſq; adbuc deberentur, aut integræ non eſſent ſatisfactæ, & exibitis integralis ſolutionis documentis à Joſepho de Ponte Flumarenſium Duce ſopita eſt controverſia.*

(a) Proc. Coll. Soc. Jeſ. cum hæred. Joan. Bapt. de Ponte in Banca Speræ fol. 59.

*Hic itaque Joannes Baptiſta Flumarenſium, Caſtelli, Sancti Nicolai, & Aquaræ primò Dominus, Aquinam de Alvito, ex antiquis Alvi-*

P ti

*ti Dominis primogenitam uxorem habuit. Ex eaque liberos obtinuit, Triſonem, Eraſmum, Andream, Claudium, Jacobum, Petrum, & Joannem.*

# SECTIO XXI.

## De Eraſmo, Andrea, Claudio, Iacobo, Petro, & Ioanne, Ioannis Baptiſtæ filiis.

*DIcemus nunc primò de Eraſmo, Andrea, Claudio, Jacobo, Petro, & Joanne, quorum poſteritas maſcula non ſupereſt; ſectioni ſequenti reſervantes de Triſone memorare, ejuſque poſteritate, quam duraturam, Deo favente, ſperamus.*

*Eraſ-*

*Eraſmus itaque fratrum ſecundus in Juriſprudentiæ ſtudiis adeò excelluit, ut brevi tempore ob ſummam integritatis opinionem in ſacrum Conſilium Divæ Claræ à Rege Philippo IV. Auſtriaco fuerit allectus. Inde cum ſupremi Conſilii Italiæ Regens eſſet renunciatus, & in Hiſpaniam vocatus, ut Principis Conſilio aſſideret, rarò exemplo eidem muneri, & dignitati renunciavit. Hoc ipſo major, & dignior, quaſi de eo dici poſſit, quod olim Tacitus de Lepido, ſcilicet, Lepidum Imperii capacem, ſed aſpernantem.*

*Duxerat Eraſmus uxorem Annam Coppulam, ex Sarni Comitibus, quæ fœcunda eidem Cæſarem, Antonium, & Camillam filios dedit.*

*Camilla cælebs, & in juvenili ætate extincta eſt. Antonius ab infantilibus annis, omnibus pietatis*

*operibus intentus, quamvis nulli ſe addixerit religioſo cœtui, tamen ita integerrimè vixit, & inter ſæculi tempeſtates conſtantem ſe geſſit, ut omnes Cœnobitas probitate, & ſanctimonia ſuperaverit. Quantum ejus animi puritas, vitæ ſeveritas Deo placuerit, idem ipſe teſtatus eſt, cum è mortui Antonii venis ex propoſito inciſis, vivum ſanguinem manare permiſerit, quod eſt maximum apotheoſis indicium. Vivens Antonius à publicis muneribus abſtinuit, quamvis ſibi oblatis, & ad quæ inſtantiſſimè arceſſeretur: illa tantum amplectens, quæ ad ſacras res augendas, regendaſque ſpectabant.*

*Cæſar I. ex Eraſmi filiis, Joannæ Severinæ Nobilis ex Sedili Portus vir fuit, à qua Annam tantum ſuſcepit Joanni Filingerio, Japigiæ Domino poſtea nuptam. Unde ejuſdem Eraſmi, & filiorum ſeries maſcula perempta eſt.*

An-

*Andreas Eraſmi frater, Majorum exempla ſecutus, templum D. Mariæ Majoris à fundamentis erexit eodem loco, quo aliud à Divo Pomponio conſtructum extiterat, unde in ejuſdem Templi valvis marmorea extat inſcriptio ejuſmodi.*

TEMPLVM HOC CLERICOR. REGVLARIVM MINORVM A DIVO POMPONIO ANTISTITE NEAPOLITANO DIVÆ MARIÆ MAIORI DICATVM AB ANNO DXXXIV. ANDREAS DE PONTE PATRITIVS NEAPOLIT. DE NOVO CONSTRVXIT ANNO MDCLXVII.

*Extat & aliud Monumentum in interiori Eccleſię pariete.*

TEMPLVM HOC CLERICOR. REGVLARIVM MINORVM A DIVO POMPONIO DEI MATRE IMPERANTE CONSTRVCTVM, EIDEMQVE DICATVM SVB TITVLO SANCTÆ MARIÆ MAIORIS AB ANNO DXXXIV. VETVSTATE DILABENS ANDREAS DE PONTE PATRITIVS NEAPOL. PATRIS ERGA SOCIETATEM IESV MVNIFICENTIAM ÆMVLATVS NOVA, ET AMPLIORE FORMA A FVNDAMENTIS REÆDIFICAVIT ANNO DOM. MDCLVII.

*Et cum idem Templum Clericis Regularibus Minoribus tradidiſſet*



Digitized by Google

*colendum cum iiſdem pactus eſt publicis tabulis, ut ſtemmata Pontianæ familiæ in eodem perpetuo retinerentur, Araque major ejuſdem eſſet ſub Andreæ, & poſterorum patronatu, itemque, & ſibi, & ſuis jus eſſet ſepeliendi in eodem Templo, unde extat Tumuli locus cum hac marmorea inſcriptione.*

ANDREAS DE PONTE TEMPLI HVIVS FVNDATOR MORTIS MEMOR, VIVENS SIBI, SVISQVE POSVIT ANNO MDCLXXVIII.

*Hęc porro inſignia familiaria de Ponte, cum controverſia orta eſſet inter ædituos, & hęredes ejuſdem Andreæ de Ponte decreto Eccleſiaſticorum Magiſtratuum repoſita ſunt, de qua repoſitione acta publica extant manu Notarii Franciſci de Urſo, quo etiam decreto declaratum eſt, nulli alii licere pręter Pontianos in eodem Templo ſtemmata, & inſignia habere.*

*Illud*

Digitized by Google

